

Ann. IV.

Num. X.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## BIS IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;  
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.  
Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro unumque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem.

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

## Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA Apud GEBETHNER ET WOLF

IN ANGLIA Apud BURNS AND OATES

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTR.

IN GERMANIA

IN CANADA

Apud FRIDERICUM PUSTET

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr. Typogr. S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr.

Typogr.

MONTREAL

RATISBONIA in BAVARIA

1699, Rue Notre-Dame.

## RERUM INDEX

E SINIS NOVIMA DUBIA	....
DE LATINA LINGUA IN POPULARIBUS ATHENAEIS	....
IAPONIORUM FABULAE COMMENTICIAE	....
DE SANCTO PAULINO POETA	....
IN SAECULUM XX A REPARATA PER CHRISTUM HOMINUM SALUTE	....
DE PLANETA MARTE	....
DE SIBYLLO A RAPHAEL SANCTIO PICTIS	....
NUPERA EFFOSIONES IN GRAECIA ET MYCENAEA AETAS	....
LUDI VETERES ET RECENTIORES — De "digitorum" micatione	....
NAPOLEONIS INGLUVIES	....
LOLLIUS SIVE DE PROVETA LATINITATE	....
HORAE SUBSECIVAE — In Iosephi Verdi obitu	....
Graphis ex vero adumbrata	....
DE TABACO NONNULLA	....
ANNALES	....
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	....
LIBRORUM RECENSIO	....
AENIGMATA	....

In tercia operculi pagina:

PER ORBEM	....
VARIA: Insanienti restituta mens per singularem interpretationem — loci	....
EPISTOLARUM COMMERCIIUM	....

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCI

M DCCCCI

# LIBRI ET COMMENTARI RECENS DONO ACCEPTI

- MARIA SODAR DE VAUX, *Le glorie di Terra Santa*. Storia dei suoi eroi, dei suoi martiri e dei suoi pellegrini. Traduzione dal francese del P. Emilio Crivelli. — S. Maria Angelorum ad Assisium ex officina della *Porziuncula*, 1900 (vol. 2).
- ALBANO SORBELLI, *De moderno Ecclesiae Schismate*. Trattato di Vincenzo Ferrer con introduzione, note e appendici. — Romae, apud Fridericum Pustet, 1901.
- Cornelio Nipote, *La vita di Tito Pomponio Attico* analizzata logicamente parola per parola dal Dott. FRANCESCO CHIMINELLO. — Novocomi edid. Societas Pliniana, 1901.
- Gli antichi oggetti egiziani inviati in dono al Sommo Pontefice Leone XIII da S. A. R. il Khedivé d'Egitto. Memoria di ORAZIO MARUCCHI, direttore speciale del Museo Egizio Vaticano. — Romae, ex off. V. Salviucci equitis, 1901.
- Della Imitazione di Cristo. Libri quattro di GIOVANNI GERSENIO. Volgarizzamento di CESARE GUASTI con proemio e note di G. M. ZAMPINI. — Mediolani edidit Uldericus Hoepli, 1901.
- GERONTES CEI Sch. Piar., Maurus Ricci. — Senis, ex off. Calasanctiana, 1901.

**L'amico della gioventù.** Singulis hebdomadis prodit Veronae.

**Atene e Roma.** Commentarius cura Italae Societatis ad litterarum studia vulganda editus Florentiae-Romae.

Index rerum an. IV, n. 27 (mense Martio 1901): Da papiri greci dell'Egitto (*G. Vitelli*) - La resurrezione della carne nel mondo pagano (*C. Pascal*) - L'episodio di Tersite (*E. De-benedetti*) - Elementi mitici in un canto popolare (*G. Vidossich*) - Recensioni - Notizie, annunzi bibliografici, appunti, etc.

**L'Ateneo.** De litteris et bonis artibus commentarius. Bis in mense prodit Romae.

**Atti dell'Accademia Properziana del Subasio.** Assisi.

**Bollettino del museo civico di Padova.**

**La Croce.** Singulis hebdomadis prodit Neapoli.

**Divus Thomas.** Commentarius inserviens Academiis et Lyceis scholasticam doctrinam sectantibus. Placentiae.

**Emporium.** Recensio menstrua litterarum et artium. Bergomi.

Index rerum n. 75, vol. XIII (mense Martio 1901): Artisti contemporanei: Edoardo Gioja (*R. Pantini*) - Arte retrospettiva; Vicende della tomba di S. Pietro Martire in Milano (*L. Beltrami*) - Letterati contemporanei: Algernon Charles Swinburne (*U. Ortensi*) - Il Vesuvio (*S. Di Giacomo*) - Cronachetta artistica - Necrologio.

**Ephemerides Liturgicae.** Singulis mensibus Romae prodeunt cura Congr. Vincentianae.

**Giornale Arcadico di scienze, lettere ed arti.** Romae.

Index rerum an. IV, num. 40: Pel XXIII anniversario dell'incoronazione di Sua Santità Leone XIII (*D. Marinangeli*) - Kubelick, Versi (*A. Bartolini*) - Benvenuto Cellini e i suoi tempi (*O. P. Conti*) - Nel gran deserto americano (*U. Mioni*) - I viaggi al Polo Nord (*V. Prinzivalli*) - Rivista letteraria (*Didimus*) - Cronaca - Notizie varie.

**Il Marzocco.** De litteris et artibus commentarius. Florentiae.

**Minerva.** Recensionum recensio, moderatore Friderico Garlanda. Romae.

Singulis dominicis diebus prodit, scripta maximi momenti, que sive in praedictis commentariis, sive in libris vulgantur, accuratissime referens.

Index rerum an. XI, vol. XXI, num. 20: Il capolavoro del teatro cinese: «Pi-pa-ki» o «La storia del liuto» - Lo spleen genealogico negli Stati Uniti - Una giornata in un ospedale di Parigi - L'arte nella vita del fanciullo - Teatro olandese: «Op Hoop van Zegen» - Visioni di cose avvenire - Sommari - Da una settimana all'altra - Marginalia - Fra libri vecchi e nuovi - Notizie bibliografiche - Rassegna settimanale della stampa.

**Nuntius Romanus.** Romae.

**L'Oriente Serafico.** Commentarius editus cura fr. Minorum S. Mariae Angelorum ad Assisium.

**L'Osservatore Cattolico.** Diarium Mediolanense.

**La Ricreazione.** Commentarius bis in mense editus Tergeste.

**Rivista di filologia e d'istruzione classica.** H. Stampini mod. prodit Aug. Taurinorum.

**Rivista Internazionale di scienze sociali e discipline ausiliarie.** Semel in mense prodit Romae.

Index rerum an. IX, vol. XXV, fasc. C: Il principio etico nella politica sociale: Franz Walter e Werner Sombart (*E. Agliardi*) - I fattori della legislazione sociale (*A. Cantone*) - Il protezionismo marittimo in Francia (*C. Bruno*) - Sunto delle riviste - Esame d'opere - Note bibliografiche - Cronaca sociale - Cenni commemorativi: Angelo Messedaglia.

**Rivista politica e letteraria.** Semel in mense prodit Romae.

Index rerum an. V, vol. V, fasc. I (mense Apr. 1901): Le feste di Tolone nella situazione internazionale (XXX) - Via Lucis (*C. Vivaria*) - La Question Finlandaise (*Ilmarinen*) - Garibaldi nella letteratura popolare (*G. Stiavelli*) - Pei sottomarini (*L. d'Adda*) - Riccardo Selvatico detto da Antonio Fradeletto (*L'Italico*) - A Venezia, etc. Versi inediti di Riccardo Selvatico - L'esposizione internazionale d'arte a Venezia (*M. Morasso*) - Vita scientifica (*O. Ricci*) - Diario politico internazionale - Necrologio - Bollettino bibliografico, economico e finanziario - Notizie artistiche.

**Rivista di storia antica e scienze affini.** Messanae.

Index rerum an. V, fasc. IV: Per la storia d'Ischia nell'antichità (*E. País*) - Appunti di Storia Ateniese (*V. Costanzi*) - I Re e gli Efori a Sparta (*G. Niccolini*) - Il culto di Kora in Menai (*G. Tropea*) - Il settentrione Greco della Sicilia dal 337 al 241 (*G. Tropea*) - Medus Hydaspes (*G. Beloch*) - I caratteri costitutivi della scultura romana, secondo la critica moderna (*G. Ricci*) - Tre iscrizioni inedite dell'antica città di Larino (*V. Balbi*) - Recensioni - Notizie bibliografiche, etc.

**La scuola secondaria italiana.** Singulis hebdomadis prodit Mediolani.

**Valle di Pompei.** Commentarius editus ad solamen puerorum, qui, cum parentes habeant in vincula coniectos, hospitio ad Pompeios accepti sunt.

**La vera Roma.** Singulis hebdomadis prodit Romae.

**Vittoria Colonna.** Commentarius ad Italas mulieres. Bis in mense prodit Neapoli.

Index rerum an. XI, n. 9: Giosuè Carducci (*E. Vescovi*) - Le scrittrici italiane (*A. De Gubernatis*) - Lettere ed Arti - Fra le riviste - Notizie - Rassegna bibliografica, etc.

**Studien und Mittheilungen.** Reigen.

**Obnova.** V. Hradci Králové.

**Vlast.** V. Praze.

**L'Association Catholique.** Revue mensuelle des questions sociales et ouvrières. Lutetiae Parisiorum.

Index rerum num. idibus Aprilibus editi: De la représentation de l'agriculture près des Pouvoirs publics (*Mis de La-Tour-du-Pin Chambly*) - Les Conseils de prud'hommes (*Emmanuel Rivière*) - A travers les écoles sociales. Catholicisme social et socialisme révolutionnaire (*Cte A. Fleuret du Pouget*) - Le mouvement social et le mouvement catholique en France (*Henri Savatier*) - Chronique de l'Etranger. Allemagne (*G. de Pascal*) - Le mouvement syndical et ouvrier (*G. Laurens*) - Les

vœux de la Société des agriculteurs de France (*Mis de La-Tour-du-Pin Chambly*) - Pensées de Mr Waffelaert sur le juste salaire (*V. de Clercq*) - Discours du comte de Mun dans la discussion de la loi sur les associations (art. 14 liberté d'enseignement) - La loi sur les associations (texte voté par la Chambre des Députés) - Chronique bibliographique.

Suppléments de la revue «Le Pain», Revue des questions sociales féminines: L'assistance maternelle à domicile (*Docteur Pecker*) - Le travail de la femme. Le congrès de Zurich en 1897 - Chronique: Les Conférences sociales (*Paule Vigneron*).

Lectures populaires illustrées d'études sociales.

**La Papauté et les Peuples.** Revue internationale des sciences sociales, d'histoire et de droit public chrétien. Lutetiae Parisiorum.

**Bulletin Bibliographique internat.** Bruxelles.

**Revue Bibliographique Belge.** Bruxelles.

**Revue Neo-Scolastique.** Lovanii.

**Boletin-Revista de la juventud católica de Valencia.**

**La Crux.** Madriti.

**El Eco Franciscano.** Santiago.

**Revista Católica de las cuestiones sociales.** Madriti.

**Revista crítica de historia y literatura españolas, portuguesas, é hispano-americanas.** Madriti.

**Revista Ecclesiástica.** Valdoleti.

**La Semana Católica.** Madriti.

**Amerikanski Slovenec.** Tower.

**L'Artisan.** Revue mutualiste. Montreal(Canada).

**La Semaine religieuse.** Québec.

**El Católico.** Santiago de Cuba.

**Der Herald des Glimbens.** St. Luis Mo.

**Diario de Centro America.** Guatimala.

**Johns Hopkins.** University Circulars. Baltimore.

**Katholischer Mesten.** Dubuque.

**The Messenger of the Sacred Heart.** Neo-Eboraci (U. S. A.).

**Niagara Index.** Niagara University. N. Y.

**Revue Ecclésiastique.** Valleyfield in Canada.

Index rerum vol. IX, n. 7: Du mariage chrétien - L'anniversaire du pape - L'unité de prononciation latine - Le discours du pape - L'action catholique - Le monde religieux (Rome, France) - Décrets et solutions - Obituaire - Bibliographie.

**The Review.** Singulis hebdomadis editur Saint-Louis M. (U. S. A.).

**The Rosary Magazine.** Patrum a S. Dominico praeconium menstruum. Somerset (Ohio U. S. A.).

**The Church Progress.** St. Luis Mo.

**The Tidings.** Los Angeles, Cal.

**Le Messager de Tahiti.**

**Our Alma Mater.** St. Ignatius College. River-view, Sydney.

**I-wen-lou et Revue scientifique.** Zi-hai = Shang-hai.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIIUM SUBNOTATIONIS:  
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:  
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques,  
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

## E SINIS NOVISSIMA DUBIA

POSTREMI, qui venerunt e Sinis nuncii, compositas paene res remeare ad pessima exordia docent. Restitutam late quietem instabili vice praedones pugiles iterum rescindunt; mox Europaeis copiis invadentibus territi, dum eae recedunt ad sua loca, redeunt ipsi clades instaurati. Auguranti de novi saeculi fatis tenebrae inde densissimae officiunt animum: odium, quod flavum illud hominum genus in christicolas, in peregrinos fovet, novis iniuriis alitur. Nemo enim ambigit amplius popularium ingentem multitudinem, quae ab inceptis tot cladibus atque ruinis vix armorum metu recessit, una eademque rabie fuisse concitata, ut quidquid sinense non esset ferro et igni abraderet.

Quae cum ita sint, qui iam coniectabimus futura nostris? Sinenses res, abhinc paucos annos prorsus neglectae, omnium oculos captant, neque in unum coactae Europaeorum Americanorum copiae ad minas, quae graviores in dies impendunt, amovendas satis fuerunt. Num itaque Pechinum tenuisse iuvabit, an potius quae circumserpunt odia, quaeve ultiōis desideria latent ubique per universum imperium, nostris recedentibus, exardescunt? Quod si innumerabilis populi vis in suos rectores iuncta mente insurgat; si qui Bouddhae sapientis placita venerantur in unum convenientes ab Indis usque ad Siberiae fines coalescant armis, quae sunt nobis copiarum vires, quibus eos repellamus? Quinimmo quae viget adhuc nostras inter gentes concordia nunquam evertetur? Manent indelebiles memoratu aemulationes civilesque luctae, quibus indesinenter renovatis, corruit tandem Crucis militum fortuna, Christique sepulcrum infidelium pedibus perpetuo calcandum permansit. Quid igitur hodie erit cum nulla prorsus religiosa meta nostris praeluxerit copiis, unumque immo tot laboribus studium, ut quas quisque possit maximas divitias thesaurosve diripiāt? Atqui post Galliarum seditionem illam maximam incerta sane, inquieta et acri novarum semper rerum velutrabie omnes populi angimur, excruciamur! In metam, quae nulli perspicua praelucet, contendimus omnes, infelici plerumque, at indefesso, at redintegrato semper conatu! Iamvero in nostros nunquam quiescentes ausus orientales populi consurgunt aeterno veluti quietis somnio a saeculis seputi: inde atrox, incredibilis occursum imminet, cuius tantae pugnae quis praenosceret exitus?

Triste autem spectanti est Sinensibus forte unum, nostras vel inter gentes, auxilium praesto esse, illudque potissimum. Russorum dicimus sectam illam amente, cui *ex nihilo* placuit nomen sumere, tamquam universo orbi delendo sacram. Huiusmodi ruinas effraena peperit libertas fideique veteris eversio, quas politici quidam nostri aemulatione malesuada pararunt. At profecto nemo eorum saeculo xix ineunte divinasset quantum postremis hisce annis periculorum omnium discrimen ultimis illis ex Orientis oris eset futurum. Nunc iam incerti de crastino, viribus impares, moderatores nostrarum gentium haerent animo, utrum minuant necne praesidia, quae ad oppidula quaedam tuenda relinquuntur cladi forte et ultiōi totius Sinensis multitudinis vota; dumque suos ad invicem enses, ne quis magis instructus quam aemulus videatur, dinumerant, innumerabilis exercitus micare cuspides, sua post terga, non vident.

P. ROSSANI.

## DE LATINA LINGUA IN POPULARIBUS ATHENAEIS

UT illa sequar, quae superiore numero dixi, duplex ordo rerum scribenti oritur; alter enim rationem qua latinus tradatur sermo ubique gentium attingit, alter modum quo, nostris aptior et fortassis uberior, quinimo et brevior cursu, sermo ipse tradatur. Iamque, ad primum quod attinet, postulatum, ut aiunt philosophi, sit: illud facilius et edoceri et intelligi, quod per nota et convia ad ignota atque avia procedat, p̄ae iis, quae ignota atque avia ad avia atque ignota deducant.

Quapropter in primis notanda diversitas ac tradenda, qua latinum eloquium differat a proprio gentis erudienda. Dein similitudo notanda, qua sermo latinus cum proprio gentis conveniat. Id autem per voces, seu vocabula, per enunciationem progressumque verborum ac nominum, per phrases, modosque dicendi. Habebunt itaque tirones et quod sequantur et quod caveant, habebunt in quod mentem acris intendant, ne abripiantur in vetita, in quod tuto pede sese agmini fluentis elocutionis credant. Itaque, exempli gratia dico, cavebit Anglus in verbis, potius quam in nominibus, Italus in verbis auxiliaribus, quae vocant, supersedebit ne a transitivis ad intransitiva declinet. Articulos hic addet nominibus in fine, auferet penitus in principio articulorum voces. Sic de sexcentis. Quid cuique nomini addendum, ut agat nominativi casus vi, quid delendum? Quid huius rei, ut minor nominativo accusativus fiat? Quid ut obliqui casus inferantur atque propositioni inserantur?

Verum de hisce satis. Perspicuum est, intellecta semel convenientia fundamentali et fundamentali discrepantia, iam fere dimidium linguae prorsus haberi. Haec autem in prolegomenis, et quasi in vestibulo templi augusti instituantur.

Memini me scripsisse — at iterum scribam — versanti anglicum lexicum voces quamplurimas in singulis paginis latinas penitus apparuisse, quae, distorta pronunciatione tantummodo, anglicum resonarent. Hoc autem ut fiat curandum est iis qui sermonem utrumque bene calleant non modo, sed explicare quoque possint quo pacto, quo delapsu a prisca significatione et sono defluxerint. Brevia quidem exempla rem expedient; scimus enim longum semper iter per praecpta esse, breve et efficax per exempla. Atque hoc p̄ae ceteris proderit, quia saepe uno in enucleando nomine plura recurrunt, quae alienas linguis docent, nostram confirmant. A voce « ur », quod hebraice « ignis », verbum latinum « uro, ustum, urere »; cui quasi totidem filii: « comburo », « exuro », « aduro », « ustio », tum gallicae huiusmodi voces, tum hispanae, tum italae, tum angliae adstabant. En etiam latinus « herus », cui respondent germanicus « herr », graecus « heros », tum « shir », tum « syrus », olim quippe hi gentium domini, atque ex eodem fonte « curo », « curare », « cura », « curia », « kyrie », « sire ».

In popularibus athenaeis nostris — nostra autem dico non modo quae italica, sed quae gallica, quae hispana, quae rumena ad Istrum sunt — ista facilis et iucundior Pallade edocebuntur. Vulgus enim nostrum plura retinet, quae omnino latina sunt; italica lingua latina plura penitus habet. In nominibus, ut exemplo aliquo utar, quae primae declinationi tribuimus, non intra, sed ultra bis centum et mille nomina sunt, quae idem unumque sonant in utroque sermone: *lingua, stella, rota, via, luna, aquila*, et similia. Prout scripta sunt italicice latinum singularem nominativum, vocativum et ablativum ostendunt. Visne casum minorem efficere? Adde *m* in fine. Obliquos casus effinges addens *ē* ad diptongum *a illi* italicae pronuntiationis. Itaque propositio haec latina: « *Luna illuminat terram* » brevi negotio conficitur ab italicica: *La luna illumina la terra*.

Et quoniam in hoc sumus, quis ignorat per illas rituales literas *m, s, t* in fine vocis verbalis indicari primam (hoc est: me), secundam, aut tertiam verborum personam? Quis ignorat literam *b* pro *v* et vicissim usurpatam, et commutatam? Hinc « scribere », idem ac *scrivere*; « *ibi* » idem ac *ivi*, et tempora omnia, quae imperfecta dicuntur, data mutatione illa, et additis, prout opus, literis *m, s, t*, a voce italicica: *amava, arava, splendeva, scriveva*, etc. fieri passim latina « *amabam, -abas, -abat* », « *splendebam, -ebas, -ebat* », « *scribebam, -ebas, -ebat* »? Quis ignorat *us* et *um* latinum converti in italicum *o*, tum in nomine, tum in verbo? « *Corpus* », « *manus* », « *murus* », « *beatum* », « *amabamus* », « *splendebamus* » et similia?

In secunda vero declinatione quidquid italicum est, casum ablativum et dativum latine exponit. In tertia quidquid italicum est, ablativum latine est: *cane, carne, sermone, dolore*; et, quae omnia dabis accusativo singulari si *m* (minorem casum) addas in fine «canem», «carnem», «sermonem» etc., itemque facies nominativum, accusativum et vocativum in pluri numero si pro *m*, literam *s* adiungas.

Quid autem nobis facilis quam adverbia condere ex prima et secunda declinatione, mutata *a*, vel *us* in *e*? Unde habemus «belle», «beate», «iucunde», et sexenta. At ex tertia declinatione decerpta desinentia *mente*, et positis in pluri numero adverbii reliquis *forti*, *aci*, *atrociter* etc., utique liquido addita voce *ter*, fit «fortiter», «acriter», «atrociter», «velociter», et similia. Haec vero et sexenta, circa quae taceo, spatio me cohibente, ita certis, perpetuis, et singularibus clausa sunt et septa legibus, ut latina omnia in italicum, italica omnia in latinum facile converti possint per quinquaginta praecelta memoriae mandata, praxi ad unguem perfecta. Haec non modo mihi mens, aut sententia, sed certitudo et experientia, qua factum est, ut qui penitus ignari latinae linguae ad me accesserant, quatuor inter menses, quae italice dictabam ore expedito calamo latine scripserint.

*Amo, ama, amate, amasti, amare, amando* unum idemque sonant latine et italice, neque inde abeunt primae coniugationis verba fere omnia; nihil enim facilis hoc ritu quam verba ab italicis in latinum, et versa vice transferre. Coniugationes autem integras a crine ad talos quarta aut ad summum quinta docebit dies. Nec ulli mirandum talia puto, quippe latina lingua veterum a latina... erravi, ab italicis vix passu distet, praesertim si prisca illa et vulgaria habeamus pra oculis, quae veteres illi viri scitissimi tradiderunt. Si quis rusticus, quoero, inter Romanos e sepulcris exiret, et esuriens tabernam peteret, diceretque: «Homo, da mi vinum, porta panem, carnem», num non intelligeretur? Quid si, prosodiaco more, literam *m* in fine tacuisse? Qui scimus a Varrone apud priscos syllabas verborum desinentes in *tis*, abiecta *s*, pronuntias simpliciter *te*, dubitabimus ne quid sonarent «amatis», «arastis», «errabatis», «imperabatis»?

Quid de illa cantiuncula ad Deiparam deprendam:

*In mar'irato, in subita procella  
Invoco te, nostra benigna stella?*

Integrum de Lucretia quondam epigramma ipse confeci, cuius hosce ultimos refero versus:

*O salve candida anima, probata  
In dura sorte!, tu perire amasti,  
E[t] non vivere in honorata!*

Quaenam haec lingua videtur? Italica an latina? Utraque est. Atque ideo reor latinam linguam in popularibus athenaeis nostris hac disciplina tradendam; et insuper ominor et auguror.

H. DE VECCHI PIERALICE.

#### IAPONIORUM FABULAE COMMENTICIAE

Cum iam gentes, qui ultimum Orientem incolunt, aut vi tandem aut sponte suos pandiderint nostros viatoribus nostrisque institutis fines, licet nostro ingenio, alienarum plerumque rerum maxime curioso, earum mores atque vivendi rationem, artis, industriaeque opera, litterarumque monumenta per partes exquirere ac sedulo illustrare.

Hoc ducti consilio, quae hactenus innotuerant de Sinensis Milesiis sive commenticiis fabulis brevi enucleavimus; hodie autem Iaponiorum aemula opera, eodem in scribendi genere a saeculo exantata, paucis attingemus.

Hitomi, vir litterarum patriae suae peritissimus, in gallico commentario *Revue et Revue des Revues* enarravit, recentiores commenticiarum fabularum scriptores Europaeorum imitari stilum genusque scribendi non dubitasse. Itaque pleraque a Iaponiis scriptoribus conditae fabulae iuxta peregrinum modum conceptae descriptaeque satis apparent. Mori-Oguwai Germanorum litteras satis callet, Hasegawa-Fontabatei, atque Yazaki-Saganoya Russorum vestigia sunt sequuti, Ozaki-Kojo, Koda-Rohan, Tsubouchi, Harunoya Anglicam artem adumbrant. Paulatim itaque nativa indole sese scriptores explorarunt peregrinamque induerunt vestem, unde, quo magis magisque in dies suis membris aptabunt, exsurget novus litterarum stilius, ita ut nova ex his scriptis Iaponia forte indoles sit oritura.

Hugo ille Gallus et Tourghenieff et Goethe non parum ipsi contulerunt ut et scribentium calamum eloquiumque expolirent et operum mentem consilique ampliora atque latiora redderent. Eorum quidem exemplo contigit praecipue ut nimiae rerum externae descriptiones relinquenter, eaeque insolitis nervis ac diligentiore studio, prout oculis subiiciuntur, representarentur. Nullus vero recentium scriptorum venustate et arte adeo valuit, ut foeminam in litterarum historia apud Iaponios celeberrimam antecelleret, Mourasaki-kibū, quae saeculo XI floruit, aut Saikaku-vatem, qui fuit saeculo XVII.

Anno circiter 1883 primae fabulae, quae publicas res quovis modo attingerent, evulgatae sunt, quod ad scribendi genus confugerant iuvenes, post perlectos Occidentalium libros de publicis rebus, deque earum libertate, unde et ipsi augurari sibi novum regimen novumque imperium cooperunt, quo gentis sue beatitudinem assequerentur. Tunc visi sunt passim viri actuosi simul atque ambitiosi rempublicam derelinquere, sese omnino litteris tradere, eorumque libri avida mente perlegi a plurimis.

Brevis tamen aura, quae cito remisit: nova enim soboles publicas res passim a suis operibus ut arceret studuit, vivendi mores, et casus vicesque vulgari populi eloquio contra referret, quo ex certamine celeberrimi evasere Tsubouki, Harunoya, Ozaki-Koyo, Bimiosaī.

Hanc metam quum vix decennio assequuti Iaponii scriptores fuerint, altiora in suarum litterarum augmentum sese non incassūm ausuros despondent. Iamque illi scriptores, non aliter ac nostri bipertito agmine dividuntur, et realistas vocant atque idealistas ad pugnam.

Itaque apud Iaponios quoque litteraria sodalitia plurima inita sunt atque academiae constitutae ut Keugusha illa, cui Ozaki-Koyo praeest, nomenque dederunt Soniū poeta, Bizan ac Sazanami, fabularum scriptores, atque Riuro «verismi» fervidus assecla.

Verum exiguum hactenus, tenuem, miserum suis ex operibus lucrum scriptores Iaponii assequuntur, hac quoque in re male nostros imitati; suaque opera non semel eaque nec incompta neque invenusta quadrangula aut quinquaginta libellis venalia faciunt, librorumque commercium duro labore commutatur. Libris enim Iaponii plerumque diaria sufficiunt, quae uno vix obolo emunt, dum simul commenticias quoque fabulas plurimas, quae ibi vulgantur per partes, legere vili pretio gaudent.

A. COSTAGGINI.

#### DE SANCTO PAULINO POETA

SANCTUS Paulinus (de quo memini quum in Ausoniū animadversiones meas protuli) (1) rem christianam cum virtute et pietate, tum etiam litteris illustravit. Etenim, cum genere, dignitate studiorumque humaniorum laude floreret, his se omnibus abdicans, «a saecularibus turbis animum subduxit, praecceptisque caelestibus accommodavit» (2), neque «Camoenis aut Apollini patere» deinceps voluit «dicata Christo pectora» (3). Verum ingenii vim quis extinguit? Naturam expellas furca, ait Horatius, tamen usque recurret. Recurrit sane apud Paulinum; et qui Musas valere iusserat, mox easdem advocavit, et pios docuit moderari numeros.

Communis opinio est Paulinum Burdigalae natum esse anno Christi 353. Perillustri ille ex familia, quippe senatoria tum paterno tum materno genere, clarissimisque reipublicae domibus affinitate coniunctus. Quam quidem ex natalibus susceptam gloriam, summis perfunctus honoribus adauxit. Is enim consulatum et praefecturam Albaniæ Romaeque gessit. Quibus tum ex amplissimo patrimonio, tum ex dotibus coniugis nobilissimae bonis ingentia accedebant praedia, quae «regna» ab Ausonio in epistola XXIII ad Paulinum vocantur. His ita praepotentem virum non mirum si tam multi, e proceribus praesertim, mirifice coluerint; quem insuper praestantissimae dignaeque gloria virtutes commendabant. Etenim, adhuc in saeculo degens, et morum honestate, et prudentia amicitiaeque fide, et liberalitate in magnam venerat existimationem.

Verum, quum esset his omnibus apud omnes homines gratiosus, non ita Deo acceptus esse quaerebat. Paulinus equidem iam Christo nomen dederat, a sancto Delphino Burdigalensi episcopo baptismō initiatus; neque tamen a vita, quibus affuebat, deliciis et commodis animum abstraxerat. Fugaces atque caducas res, ipso pluribus in epistolis teste, bonis praeponebat in perpetuum duraturis. Quod ea de causa, Deo sic providente, contigisse puto, ut exemplum ederetur illustre, quo fidei christianaæ apud illius memoriae viros amplius auctoratis et splendoris conciliaretur, et in quod respiceret omnis posteritas. Namque Paulinus humanarum rerum inanitate percusus, nuncio vanis oblationibus remisso, venditique et in pauperum levamen impensis innumeris praediis, ad sanctissimam vivendi rationem, coniuge et consensu quin et consilio adhortante, ita se totum apparavit, ut primo gressu evangelicae paupertatis et humilitatis culmen attigisse visus sit. Quae res, quanta omnes admiratione affecerit, vix dicere valeo. Praestantissimi quique viri, quorum doctrina et virtute tunc temporis Ecclesia ornabatur, tam illustre factum meritis certatim celebravere laudibus; qui vero divitiis et huius vitae blandimentis occupatum gerebant animum, quamquam eos inter et Paulinum gratissima et iunctissima intercesserat necessitudo, cum pietatem stultitiam autem, stultissimum Paulinum habuerunt, atque verbis contumeliosis in eum, ut ita dicam, animadvertere non dubitarunt.

Verum, ut erat magni animi vir, in eo nec laudationes humilitatis, neque vituperationes virtutis studium valuerunt retardare. Quod ut perspectum habeas, legenda erit epistola I Paulini ad Sulpiciū Severū soluto sermone conscripta, qua se et hunc suum amicum (qui Paulini vestigia persecui incooperat) fortissimis defendit rationibus, ludibriaque pro-

(1) Cfr. an. III, n. XX; an. IV, n. 1.

(2) PAULINI Ep. V, 4.

(3) PAUL. Carm. X.

pulsat vanorum hominum maxima verborum vi sententiarumque: «Quo nobis», inquit, «gratiam mundi, quae est odium Christi? Displiceamus ergo his et gratulemur iisdem nos displicere, quibus et Deus displicet... Fruantur interim voluptatibus, dignitatibus, opibus suis... Sibi habeant sapientiam, sibi felicitatem suam; nobis inopiam nostram, ut putant, et stultitiam nostram relinquant. Sint prudentiores, dum non sint filii lucis» (1) etc. Sed enim huius sanctissimi viri vitam nolo contexere. Haec satis sint, qui bus suspicetur quisquis, quanta fuerit in Paulino animi magnitudo atque praestantia. Nunc autem videndum est qua ratione de christianis litteris meritus sit.

Ex iis quae supersunt Paulini monumentis, de ingenio eius facile existimari potest. Ex iis, inquam, quae supersunt: plura namque perierte, ob quae suis aequalibus, Ausonio maxime, sub quo litteras didicerat, fuit commendatus. Hic enim poeticam Paulini facultatem mirum in modum extollit, nullamque poetae venam huic comparari posse affirmat. Quin imo, huic praceptorum Paulinianis in scriptis tantum inesse videbatur et elegantiae, et concinnitatis et eloquentiae, ut iurare non vereatur poemata Paulini nonnulla nulli imitabilia futura (2). Quas si quis suspectas habeat laudes, quod quandam assentationem, ut ita dicam, paternam redoleant, alias perpendat in Paulinum collatas a viris cum virtute tum iudicio exquisitissimo notis. Laudat in eo sanctus Ambrosius «eloquentiam, nobilitatem et indolem»; Hieronymus «genus eloquii pressum et nitidum, Tullianamque puritatem»: «Magnum habes ingenium», scribit Hieronymus ad Paulinum, «et infinitam sermonis supellectilem; et facile loqueris et pure, facilisque ipsa et puritas prudentia mixta est: capite quippe sano omnes sensus vigent... Huic prudentiae et eloquentiae, si accederet studium vel intelligentia scripturarum, viderem te brevi arcem tenere nostrorum» (3).

Accessit equidem studium atque intelligentia; accessit et inde summum Paulino decus. Opera namque scriptoris nostri plena sunt divinarum sententiarum, divinaeque plena virtutis. Quibus in operibus, licet profanum quodlibet argumentum (cuiusmodi olim magna laude tractaverat) ita vitaverit, ut ne Vergiliū quidem postmodum nominare fuerit ausus; tamen gratiam retinuit qua pollebat, abundantiam atque eruditioinem cuique litterarum perito facile conspiendam.

Ab Erasmo, viro huius rei inter omnes sane prudenterissimo, Paulinus «Cicero Christianus» appellatur. Et re quidem vera, si quandam excipias profanam pompam periodorumque exuberantiam cultiori arte elaboratarum (quod vitium, si modo vitium sit, sententiarum granditate cumulate rependitur), apud Paulinum eundem deprehendes verborum delectum et vim, eosdemque motus iucundos aut acerrimos, quibus et docet, et movet, et eos, qui legant, maxima afficit voluptate.

Porro Paulini opera in duas partes distribuuntur, quarum una continet quae soluto, altera quae metrico sermone conscripta sunt. Quae ad primam partem referuntur, ad epistolarum genus pertinent (4). Maiora quippe opera aut ad confutandos errores, aut ad scripturas explicandas, si quae aggressus est, aut perficere non potuit, aut saltem ad nos usque non pervenerunt. Verum illud nobis laetnos usque non pervenerunt.

(1) Ep. PAUL. I, 6, 7.

(2) Aus. Epist. XXI.

(3) Epist. HIER. 13.

(4) Epistolae Paulinianae exstant numero LI, integræ fere omnes.

tandum est, quod illas epistolas temporis iniquitas non absorpsit; monumentum quippe sunt pietatis et virtutis, atque fontem praebent purissimæ et altissimæ philosophiae. Quas si quis attente legerit, profecto in sententiam clarissimi viri Card. Perroni ibit, et Paulinum existimabit dignum, qui vocetur: « antiquæ pietatis deliciae, excellentissimum atque religiosissimum ingenium Ecclesiae aeo florissantissimo celebratum, progenies et quodammodo sancti Pauli deminutum, vas novum electionis, vir Dei, de cuius laude quidquam detrahere ipsi Centuriatores Magdeburgenses non ausi sunt, cum aperte pronuntiaverint, scripta Paulini hominibus piis ac doctis vehementer esse comprobata » (1).

Sed de carminibus Paulinianis alias, ne longior sim, dicam.

I. LEMETTE.

## IN SAECULUM XX

### A REPARATA PER CHRISTUM HOMINUM SALUTE

*Angue deceptus Stygio, iacebat  
Mortis aeternae lacrimosa praeda,  
Qui sator nostra fuit et peremptor  
Slirpis, Adamus.*

*Hunc suis Serpens misere premebat  
Letifer spiris, domitum parentem  
Donec et victimam traheret sub ima  
Tartara prolem.*

*O Deum promptum veniae! Crearat  
Ille nos laeta vegetos salute;  
Morte percussis merita salutem  
Reddidil auctam.*

*Nec redonavit facili iubentis  
Voce, sed longa serie laborum,  
Dira quos tandem series dolorum  
Morsque manerent.*

*Nam (quod excelsi stupuere caeli)  
Numen immensus fieri Puellus  
Coepit, et lenti gradibus staturam  
Ferre virilem.*

*Inter aerumnas adolevit, artem  
Doctus, ut primum viguit, fabrilem:  
Hoc ut exemplo manuum sacraret  
Ardua pensa.*

*Tum Palaestinam peragrat, viarum  
Lassus, errantes ut oves benignus  
Colligat Pastor, doceatque tutu  
Pascua, septa.*

*Dicta portentis stabilit: videre  
Dum iubet caecos, properare claudos,  
Os loqui mutum, putre iam cadaver  
Surgere vivum.*

*Bis legit senos comites, Petrumque  
Praeficit cunctis, data cui potestas  
Vinculis mentes cohibere, vincla  
Solvere rursus.*

*Condit et septem, patuisse iussos  
Cuilibet, Fontes: vigor unde sanis  
Et salus aegris animis ad omnem  
Profluat haustum.*

*Golgatham tandem subit, et coruscum  
Explicans signum Crucis, atra calcat  
Colla Serpentis, tumidam coacti  
Ponere cristam.*

(1) Card. PERRONIUS in *Plessaeum de Missa*, fol. 403.

*O salus, Iesu, pereuntis Orbis!  
Saeca viginti tibi iam tulere  
Gratias; grates referant perinde  
Saeca futura.*

*Te suum Regem reparata Tellus  
Omnis agnoscat; neque gens sit ulla,  
Quae tibi subdi renuat, genuque  
Flectere nolit.  
Sub tuo sceptro dociles quiescant  
Seres ac Indi, trucis et Corani  
Asseclae, Parthi, Libyci, Nigrilae,  
Stirps et Hebraea.*

*Hos Crucis splendor trahat et triumphus,  
Semper in nostris redivivus aris:  
Tartari clades, ratiq[ue] nostrae  
Certa salutis.*

F. X. REUSS.

## DE PLANETA MARTE

*DIFFICILE aestimamus quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt invenimus cum labore. Quae autem in caelis sunt quis investigabit?» (1) Haec ante memorem animum verba versabantur quotidie, quum circa me grandia illa siderostati Parisiensis docti passim indoctique viri, ceteroquin caelestium rerum non incuriosi, pollicerentur. Neque me tantum lunaris orbis considerandus prope in foro, quasi civis, intuendusque movebat, quantum proximus, etsi Luna longe remotior, Mars, de quo mira percrebrescebant in communi gentium eloquio. Ferebatur enim populis argumentosis refertus, qui mathematicis et astronomicis disciplinis optime exculti, de habitatoribus orbis, quem incolimus, in suspicionem venissent, et signa quaedam, suppeditante lucem electride, per immensa camporum spatia disposuerunt certis descripta figuris geometricis, quibus nobiscum commercia indiciorum tentarent, atque, iis ubi respondissemus, nobiscum commercia sermonis inirent. Eo perventum erat, ut et de Martis urbibus, de architectis Martis, de incolis eius aut simillimis, aut non longe diversis a nobis passim nostra ora sonarent, et gravius ageretur apud quosdam de loco, in quo a nobis paria signa preferrentur, ut Martiae progeniei salutem quasi reddere, certe scientiae nostrae, nostraeque vitae non indubia praebere et ostendere indicia videremur. Haec inter autem vera et severa sapientia astronomorum quaestionem coram se avocavit tractandam (2), cuius responsa digna sunt profecto quae lectoribus nostris subiiciamus.*

*Atqui, si qua telescopicis inspectionibus et scrutationibus adhibenda tides, nulla circa Martium orbem aquarum, nulla aëris copia; herbarum ergo ne sicutum quidem porrigitur, nec animalium; haec enim sine aqua et aëre nec germinare, nec ali possunt. Nullus igitur in planeta Marte populus esse potest, qui humano sit generi comparandus.*

*Quinam ergo ibi viventes? Si tantum, qui caeli soleque temperiem tolerent rigidorem illa, qua rigidiissimæ polarum orbis terraue regiones utuntur.*

(1) *Sapient. IX.*

(2) Cfr. scriptum EDUARDI S. HOLDEN in *comm. cui titulus Mc Clure's Magazine*, mense Martio 1901.

Quae cum ita sint, redit quaquaversus exclusio viventium illic nobis animalitate similium.

At quid, si in illo conditiones habitantium ita attemperatae sint continentia gelu, deficiente aeri, deficiente aquis, herbis, arboribus, ut vivere possint? Etiam si tales habeantur, nulla tamen nobis certa de iis erit notitia. Quum enim diametrum Lunae ad diametrum Martis sit ratione distantiae, eaque sit uti 240 000 ad 35 000 000 (passuum millia seu millaria indicamus), telescopiis autem, quibus utimur in Marte contemplando, illa sit virtus, quae orbis diametrum non ultra quatuor apparentis Lunae diametra augeat, patet illic quasvis urbes, quasvis aggregations dormorum, etsi pares maximis nostris urbibus, etsi longe ampliores, discerni non posse.

Undenam igitur ea invaluit opinio? Ex falsis nominibus, quibus regiones Martiae sunt appellatae. Diximus enim obscuriores, subfuscasque regiones maria, lacus; diximus lineas illic canales et flumina, rubescens spatia diximus terras, quae caeruleae videbantur oceanos nominavimus. At in illis lineis canales credimus esse, qui nisi annorum miriade, omni adlaborante populo, completerentur; credimus flumina, quae sinuoso cursu nullimode utuntur; quae

inventarium totius rei digerere incooperit, manus, genua, comas, facies, singula pretio supputans gravissimo quidem, at sua sententia perfectione operis digno. Tunc negotiorum Chisiae gentis gestorem aiunt, qui peritiae aderat, ut aestimator sileret ceteraque negligeret tandem intercessisse, ne sui domini, ditissima licet, pecuniaria res unius operis pretio consumeretur.

Sed cum Bonarrotii iudicio, quo nullum gravius esse in re poterat, una voce consonuerunt ad nos usque nepotes, ut ex Raphaelis picturis omnibus Sibyllas has plures affirmare pulcherrimas non dubitaverint.

LAELIUS.

### NUPERAE EFFOSSIONES IN GRAECIA ET MYCENAEA AETAS

**Q**uum, diebus nostris praesertim, quasi condito, quotquot sunt litorales Mediterraneo mari regiones, civitates, et gentes a Gaditano freto ad Bosphorus in vestigandum solum incumbant, ubi tot olim urbes celeberrimae floruerunt, minime mirandum erit si tanta archaeologica supellex simul collata novas historiae, novas et ipsi antiquitatis disciplinae

dicentem inveteratis iam litteris ac disciplinis Romuli aetatem venisse. Audiebamus eudem praedicantem Zaleucos Locrenses, et Carondas Catanienses, qui resplicas suas legibus optimis instituerunt, et firmarunt, longe antiquiores Thalete ac Solone floruisse. Videbamus insuper Aegypti mirabilia, videbamus Etrusca, Tagete praelucente, ipsa antiquissima Graeca Italicis simillima sciebamus characteribus, quos alphabetum dicunt, fere aequis, urbium antiquissimum moenibus giganteis, aquarum ductibus, effossione montium, irrigatione, agricultura, navibus; phoenicia intuebamur in Sardinia, elementa sermonis reperiebamus in linguis, cantabat surdis Vergilius:

*Lydia quondam,*


*Gens bello praeclara, iugis insedit Etruscis.*

Sexenta rei monumenta prae manibus erant, et interea acquirescebamus dicentibus cultum, urbanitatem, genus et artes non ex Oriente venisse ad nos ante Agamemnona, sed nescio per quos et saltus et Alpes. Hic mos erat, contra quem si quis surrexisset documentaque tulisset, quasi ruditis rerum, reiiciebatur, et gravius obiurgabatur. Experto credite.

Nunc autem defodientibus, tripertito agmine, Schliemann ac Dörphfeld circa Tiryntum, Mycenae et Hissarlik (Troiam), adlaborante et Graeco archaeologo Tzountas; Americana Societate et Schola circa Heraeum Argivum; Anglica demum Schola, Athenis, pariter ac Americana, constituta duce Evans, in Creta insula, illa deveniunt, quae probant antea Graecos in Graecia fuisse, quos «Cascos» Ennius appellat, antiquissimas gentes, quae omni cultus humanitatisque lumine, omni disciplina fulgebant, iisque similes, parres, affines vixisse circa Mediterraneum distributas (1). Inde prima quaedam unitas, primus quidam, et princeps, et prior Hellenismi (parcite verbo quod uni tribuit ea, quae communia sunt), prior, inquam Hellenismi halitus flavit, cuius reliquiae, vestigia, monumenta nunc altius inspecta, quae nos antea non ignorabamus, certe confirmant.

Qui Schliemann benevolentissimi ferebantur, postquam ille ex aromatario emporio Batavo, ubi *Iliadis* lectione imbutus thesauros et regias arcas, quorum apud Homerum descriptio ad unguem est, mente versabat, ad ingentes divitias labore, diligentia et consilio pervenit, comparatisque opibus ad effosiones Mycenaes primum admovit manus, eum interdementes religandum censebant. Quenam autem non profuderunt in Tiryntia, Troianaque rudera tentantem? At ubi ille thesauros Atridum, ossaque Agamemnonis, socrorumque huius virorum incredulis ostendit, negata oculis fide, deceptorem, sycophantam, et si quod peius est, nuncuparunt, qui fictitiis, et mendaciis et subditis archaeological orbem ingrediebatur novus Arpinas. Quid nunc de huiusmodi vituperii? Moenia et aedificia Mycenarum, Tirynti et Troiae invisentibus patent veritatis ineluctabiles testes; fulgent in Museo Atheniensi pretiosa supellex ex auro, ornamenta, vasa, utensilia metallis, arte mirabilia, sexcentaque eiusmodi per tot Musea urbium reliquarum, quibus ostenditur fuisse illic gentem xv circiter ante Christum saeculo omni rerum copia, cultu, disciplinique coruscum, coaevam Moysi, quam increduli ante annum Chr. MDCCCLXXIV ignorare volebant, quia critica, quam dicunt, scientia duce, nulla habenda erat Homero, nulla priscis fides. At quomodo Homerius illa cecinisset, millennio ante Christum, nisi vidisset? Quibusnam suassisset ea, quae nemo videbat? Atqui caecus erat. Ergo ab aliis illa esse

(1) Cfr. scriptum D.ris CAROLI WALDSTEIN in comm. cui titulus *The North American Review*, mense Martio 1901.



Raphaelis Sancti pictura muralis Sibyllas referens.

(Photographice expresserunt Fr. Alinari - Florentiae).

utraque tamen, glacie concreta, nulla possent aqua defluere, undare, moveri.

Quid ergo canales ii, quid flumina, quid maria?

ALPHA.

### DE SIBYLLIS A RAPHAELE SANCTIO PICTIS

**Q**ui superiore n. VIII de Sibyllis disserentes earum imagines legentium oculis subiiciimus a Bonarotio effectas, quas Urbinas reddidit hodie damus, non modo ut quisque describendi stilum summis illis pictoribus proprium advertat, sed etiam quia nexus quoddam muralis Sancti pictura cum aemulq coniungatur.

Raphaelis Sibyllas Romae, in templo Sanctae Mariae de Pace dicatum, olim autem S. Andreae apostolo, quod ab Aquarenariis nuncupaverant, videmus. Saeculo XVI cum illae aedes restituerentur, et Augustinus Chisius, Sinensis argenterius trapezita, sepulcrum suae gentis in eo situm condecorandum censeret, sacellum, quod iure patronatus tuebatur, super arcus fornice, insigne hac pictura ab Urbinate reddi voluit.

Quam cum Sanctius iuvenis admodum tunc perfecisset, de operis pretio a trapezita rogatus, libere proposuit. Pretium vero Chisio nimium visum esse tradunt, qui ad Bonarotii iudicium appellavit, cuius aemulatione sperabat fore ut artificis merita imminuerentur. At male ei res cessit; Bonarotius enim pulcritudine virginum adeo percusus statim fuit, ut extemplo quoddam veluti

et fuisse resciverat. Crescit argumenti pondus dum quassatur; et dum unum amovent, plures adveniunt.

Ad Heraeum Argivum vero quod attinet, insignis huic fama tum ex simulacro Deae, Polycleti arte ex auro et ebore dolatum, vivo Pericle, tum ex opinione gentium iam inde adeuntium Deam votis ac precibus. Hoc autem non Polycleti aetate, sed Tiryno ipso et Mycenis antiquius. Quapropter dum Mycena, dum Tiryns aetatem quaeque suam fatentur, suumque praeferunt cultum, hoc aetate longe antecellit. Cuinam enim suadebis tot signa, tot columnas, tantumque aedificium extitisse ante opifices, qui condiderunt, qui exornarunt? At quando aedificatum est? Nempe postquam fama prodigiorum invaluit ut tanta ac tot opes operi necessariae compararentur. Quoniam ergo aetate ascendemus?...

Avocant nos effossiones Cretenses, quae etsi nondum penitus absolutae, copiam tamen insignium monumentorum praebuerent, qua manifestum est illic existisse populum apprime disciplinis ornatum optimis, omni opum genere abundantem, commoditates vitae omnes adeptum, divitias ad luxum usque ostentationemque excentem, scribendi gnam, suaque inscriptionibus publicis credentem, quibus Evans permotus asserere non dubitaverit litterarum apud eos fuisse monumenta septingentis antiquiora annis praehistoricis Graecorum libris. Haec insuper ad Gnossum, principem regionis urbem, reperiit, quae de architectura ita testantur, ut inferri inde possit giganteos muros ac aedificia Tiryni et Argivi Heraei Mycenaea omnia aetate anteire, immo quasi gradum signare, quo a cyclopis Tiryni ad ea ventum sit, quae Mycenaea celebrantur. Supereminet autem Gnosia quaeque palatium illud ingens, quod innumeris paene cubiculis, ambulacris, aulis, emporiis Minois regia putatur, in quo terribile illud Minotaui portentum fertur conclusum, Labyrinthus in summa. Mirandum porro Gnosti nondum reperta altaria, non simulacula Deum, non templi, si parva quaedam sacella excipias interiora palatis. Arbores potius, et quaedam columnulae in honore fuisse, quasi divina, videntur; id vero religiones ritusque Mycenaic et Argivis vetustiores portendit. Anne autem hoc in primis, quia in egregiis manufactis Mycenaic omnibus, si quae ornamenti sunt excipias, pictura et sculptura penitus absunt? In palatiis illis, in aedificiis non percillit, sed quasi terret oculos magnificientia, divitiae opprimunt, pretiosa tum aere, tum marmore mentem agitant; at non tabulae, non statuae prorsus. Numquid ablata? Numquid abrasa, contrita? Scimus et haec fuisse in more victorum; scimus Romanos, captis Vulsiis, magnum - ad multa millia - statuarum numerum abstulisse Romam deducendum; idem de Veis. Illa tamen Mycenaea magnificientia Doricis invadentibus periit; atque factum est ut novis insitis elementis ars graeca, eloquium et meliores et politiores formas adamaverint, et a populis Hellenicarum regionum unitate donatis miracula artis, litterarum, sapientiae eruperint.

G. P.

## LUDI VETERES ET RECENTIORES

### De "digitorum micatione."

SINGULARUM gentium indolem, conditionem humanitatis et cultus, religionis etiam ritus et mores gentium ludi redolent; redolent caelum caeli que temperiem; regionum solique conditiones, vices, casus, historiam. Inde de ludis agenti immane pondus et opus immane. Nos summis labiis rem delibamus.



Digitorum micatione a Caravagio effecta. (Photographice expresserunt Fr. Alinari - Florentiae).

Ludorum nomen a Lydia gente in Italiam veniente, et Etruscis, ut ait Vergilius, insidente iugis, fertur illatum, quibus et solemnes dies et fausta reipublicae celebrarentur. Ludi igitur sacrum aliquid publicumque sonabant. Mox a publicis ad privatas ferias, a privatis feris ad otia quaevi hominum, et ad recreationem animi quamlibet deuentum est.

Sed de publicis non hic sermo: privata potius quaerimus, atque ideo « naumachias », « amphitheatra », « gladiatoria », « equiria », « Troiae ludos », « cestum », « hippodromos », et quae Homerius, Vergilius, ac Statius edocent, amovemus, in illa incumbentes ludorum genera, quae pacifice inter se, nullo apparatu publico solent homines agere, sive constituantur praemia ex asse, sive ex vino victoribus. Haec autem, frequentiora prout sunt et fuerunt, habentur: « pila », sive brachiali committenda aeri, in sphaeromachia, sive solo volvenda, tum immissa longius, tum rectius in metu adacta, sive « ligneis » multiplex interdum « sphaeris », « harpastum », « trochus »: hi autem ludi liberum aequor sibi vindicant, liberum caelum, et plerumque faventes decertantibus turmas, quos ideo ludos semipublicos dixerim.

Sed ludi sunt, quibus utimur vel domi, vel hospitales inter parietes; sunt qui in cauponis excentur et in officinis, tum in angulis platearum, tum ubique passim, quibus nomina mille: « eburnipilum », « latrunculi in abaco confligentes », « seripi in diagrammismo », « ludus lapillorum », « tesserae agitatae, magna parantes - lucra fritillo ». Est « ludus myndae », est « pupae », est « basilindae », est « lusorium chartarum », est « caput et navis », est « aphentidae », est « tropae ».

At egregia pictoris celeberrimi Caravagii tabula, quae Senis in pinacotheca servatur, me monet ut, reliquis abdicatis, illud ludi genus exponam, quod in illa pulcherrime redditur, quodque apud nos Italos mora, et morra nuncupatur; « micationem digitorum » apud Ciceronem credo appellatum ludi genus.

Quidquid autem fuerit, certe rusticis nostris, immo plebeis omnibus nullus ita in deliciis iocus unquam, nullus frequentior ubique locorum et gentium. Iucundum autem et frequentem puto, non quia sit in endo eo, quod delectet, sed quia nullus iocorum facturis hoc promptior. Sufficit quippe habere manum digitis armatam, oculos idoneos et vocem sonantem. Qua in declamatione et enuntiatione digitorum, ita fervent, ut inter sexcenta metra probe

audiantur. Summa autem ludi huius haec est. Duo, quatuor, sex, et ultra si voluerint, semper autem numero pares, frequentius quatuor, facie ad faciem homines disponuntur; condicunt inter se puncta, quae citius qui duo confecerint, victores existant; punctum autem habebit ille qui porringtonum numerorum, summamque digitorum voce praesagierit, dum clausae manus ab alto ruunt improvisae digitos extensurae. Quo fit ut saepe per plures utrique numeros vagentur incassum, atque ideo acrius instent, clamoremque altius tollant; unde necessum sit guttura vino reficere, magno cum gaudio et lucro cauponis, et quaestu magno adstantium; nam turpe est ludentibus adstantes siccios relinquere.

Praelium huiusmodi suos habet Achilles, contra quos inutilis decertatio; nam sive oculus iuvat, sive adversarii in eosdem digitos recurrentem saepe dextram animadvertisunt, ita digitos suos porringtonis accommodant, ut adamussim numerum nuncupent. Ubi autem quinque puncta obtinuerunt, plaudunt sibi palmis, eundem instauraturi plausum ubi alia quinque adipiscantur; et ita procedunt usque ad duodecim, vel sexdecim, iuxta condictum. Tum, qui minores fuere, a victoribus postulant, ut eodem praemio certamen redintegretur, quod semper fit tum urbanitate, tum ne victi victores pusillanimatis accusent, quasi fortuna, non virtute vicissent. At quid virtutis in hac sit re satis aperte non video. Inde vero plerumque accedit ut ludus protrahatur in horas, et ebrii in rixas et vulnera plerumque desinant. Ludus hic raro pecuniam sibi proponit, fere nunquam; vinum semper inter ludentes et adstantes bibendum. Ego, siquid est in me, quod decernere possit de nomine, ludum hunc potius « praedictionem », vel « divinationem digitorum » appellem, quam micationem. Trahat sua quemque... sententia.

At huic similis ludus - hic autem praeceps et pecunia proposita saepe infamis - est ille, quem Horatius noster « par impar » nominabat. Nam digitorum divinatio aliquid interserit morae (num inde nomen?); saepe enim frustra ruunt manus, porringtonur digiti, conclamat quisque suum numerum, dum ioco dat operam. In ludo « par impar », quoties micuere promissi digiti, toties huic, aut illi Victoria; unusquisque enim e ludentibus sibi numerum eligit parem, vel impar; summa autem digitorum semper aut par, aut impar exstet necesse est. Hinc praeceps in finem et ruinam ludus; atque hac de causa avaritiae in-

hianti carior, potiusquam deliciosa bibacibus. Sunt autem qui ludo huic inserviunt fascia ad oculos obstricta, ne videant adversarii digitos. Duo vel plures adsunt testes, qui iubent exserere digitos, et « par! », vel « impar! » proclamant, neque numerum, puta quatuor, octo, sex, vel tres, septem, novem, enunciant, idque eo potissimum ut nihil ars, nihil calliditas vindicet, sed sibi totum arroget, suumque ducat fortuna.

*Mora* (ecur non utamur hac voce?) raro sine lite absolvitur, et saepe humano sanguine sceleratur, ob vini non dicam frequentiam, sed inundationem; « par impar » saepe brevi hora integrae hebdomadae laboriosae mercedem absumit. Quae voluptas tam perniciosorum ludorum, quibus aut salus et vita, aut res familiaris periclitatur?

SENIOR.

### NAPOLEONIS INGLUVIES

**R**EX nullus aut imperator forte unquam Napoleone fuit ab epularum voluptatibus magis alienus. Quod enim sumnum ducem decebat, tam sobrie parceque vivebat, ut ipsam ineluctabilem yescendi necessitatem aegre ferret, tempusque illud, non raro diuturnum, in tricliniis saepe terendum actuosa hominis indoles quam maxime aspernaretur. Sed tamen, etsi coquinariae rei omnino incuriosus, probe noverat quam late eius oblectamenta ad nobilis ordinis viros alliciendos valerent. Erat enim tunc temporis opinio, coqui peritiam ad publicas res feliciter componendas plurimum conferre, atque imperialis aulae Apicius (Carême nomine) coquinariae artis celeberrimum specimen ac veluti perfectum evasit, qui maiorum etiam callidissima ad rem documenta et exempla

diurno studio requisiverat, investigaverat et publicato libello cum aetatis suae esculentis moribus non sine laude comparaverat. Quapropter altissimos plane vertices Gallorum coqui arripuerunt, et Talleyrand, Ulyxis illius fallacissimi, et Cambacérés, totius imperii cancellarii, coenae copiosissimae passim celebratae sunt. Erat enim Talleyrandii novi veluti Trimalcionis domus, ipseque helluonum rex appellabatur, quem nemo Lutetiae superaret: aemulus enim cancellarius, veteris tenuitatis saepe memor, maxima artocreatu, praecoces fructus ad ostentationem tantum tricliniarchae apponenda suadebat, ut rursus die sequenti afferrentur.

Utrique igitur statuta vice munus erat ab imperatore commissum, ut extraneos legatos vel nobilissimos aliarum gentium advenas coenarum blandiis sibi devincirent. Namque ad popolorum fata immutanda atque ad virorum animos captando coenas pollere quam maxime Homerus ipse summa ab antiquitate docuerat. La Guipière erat Carême in imperiali coquina socius adlectus, quorum patientiam quotidie dominus urgebat inordinata eaque citissima semper edendi ratione, vix decem momenta ad prandicum, vix medium horam ad coenam concedens.

Mane enim ientaculum plerumque solus sumebat ad mensulam sine mantilibus consedens, cochlear aut fuscinulam saepe prae festinatione aspernans, vix bina obsonia deglutiens, atque trullula arabicae portionis concludens; his citissime assumptis, surgere statim et in aliam exire aulam neque ab ipsis convivis detineri, quos Iosephinae uxori derelinquebat. Sed panem optimum apponi, imperator, ciborum plerumque incuriosus, iubebat, acetaria ex lentibus ac faseolis apprime gustabat, et interdum inopinata sibi obsonia exposcebat. Dunan condus fusa eloquentia

quondam usus est ne suinae carnis frustula, prout vulgaria, ederet, dieque crastina perniciis contra fragmента apparari iussit, quae ipse nihil refragans absumpsit.

Non raro, Duroc, domus praefecto, comitante, ad nundinas Napoleon properabat, ut quanti herbae, pisces, carnesque venirent, inquireret: in domesticis enim expensis maximam parsimoniam adhibebat. Quin etiam ferunt, cum ad uxoris epulas adisset, vehementer iratum quod artocreas in mensa emineret, pretium matronae cuidam ab aula expetiisse; cumque haec ingenue fassa esset imperatoriae domus pretia in duplum quam ceterorum excrescere, ipsum tunc et in dapibus latrocinia pati conquestum.

In bibendo pariter parcus, vinum aqua tantum dilutum, vel lac kaffae mixtum, vel thea aut hesperidii potum insumebat.

Adstitit olim ex improviso Mariae Aloisiae imperiali uxori ovorum placentam confidenti, ipseque tunc ad operam manus admovens, linteo praecinctus, ad tripodem carentem accessit. At cum patinam impelleret, ut placenta iam adusta prosiliret, in terram contra ruuentem hanc vidit; inde non amplius ad coquinariam artem ipse, tot praeliorum victor, accessit.

Medio tandem in oceano exsul factus, Chandelier coquo comitante, nova atque magis exquisita saepius poposcit, quam nunquam antea tot tantisque rebus implicatus fecerat. Rei memoriam ipse coquus tradidit, atque Carême in libro vulgavit cui titulus *Coquinaria Gallorum ars saeculo xix*. Sed erant in cultae insulae exigui prorsus fructus, legumina, pisces, carnes, vixque aderant sinensis generis sues, quorum tamen imperator libens edebat isicia et farcimina, dummodo sapienti vice cum pullis saltet alternantur, vel cum pastillis italo more paratis. Attamen

32]

### LOLLIUS

#### SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Treb. — Sit tibi terra levis. Sed cur succenses adverbio « quoad »?

Loll. — « Quoad », non ad res, sed ad tempus refertur, ut in Tullio: « quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis » (1).

Treb. — Perge modo, et fac sciā cur nota fuerit inusta his: *facturus litterarium periculum*.

Loll. — Participium futurum activum a verbo « sum » disiunctum, ubi agitur de consilio seu proposito alicuius rei facienda, Tacito, Livio, Iustino est frequentissimum; in Cicerone vix unquam occurrit; in Caesare nunquam (2). Utitur tamen Vallaurius, in imitanda deteriora pronus (3). *Litterarium* autem, quamvis in Quintiliano reperias, non tuis inseres scriptis, si optimorum vestigia sectari cupis et versicolorem dignaris vestem Taurinensis magistri (4). — Sequitur — *quaerere demum illa siet*, pro « *quaevi denique* ». Aliud est distribuens pronomen « quisque », aliud indefinitum « quisquis ». Quod si Arcadius forte putavit, nuptias conciliari posse masculi « quisquis » cum foemina « *quaerere* », sciat is, pronomen « quisquis » tres tantum habere formas; « quisquis » = « quidquid » — « quōquo » (5). — Adverbium autem « *demum* » est coarctantis; « *denique* » colligentis; « *tandem* » exspectantis. Ita Vergilius:

*Illa seges demum* (i. e. « *tantum* ») *votis respondet avari Agricolae*, bis *quaes solem*, bis *frigora sensit* (6).

Et Flaccus:

*Denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum* (7).

(1) *Pro Arch.* I, 1. (2) *GAND. Sint. lat.* P. I, IV, 3. (3) *Hist. crit.* I, cap. III, § 3. (4) *Ibi in ep. ad Vitriolum*, p. 7. — Bis pag. 9. (5) *SCHULTZ. Gram.* § 68. (6) *I Georg.* 47. (7) *Ad Pis.* 23.

Et Cicero: « *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* » — Iam supervacaneum est addere, his adverbis uti promiscue Vallaurium, qui tamen fere videtur adamare « *dēmūm* », forte quia ceteris brevius.

Treb. — Parce sepulto.

Loll. — At non sunt eius libri sepulti:

*Naevius in manibus non est et mentibus haeret,*  
*Paene recens?* (1)

Quos quidem libros facile excusarem, si tantum ab optimorum usu recederent. Sed illud, hercle, miror, tam clarum hominem ea latuisse, quae pueri nostri minime ignorant. Vidisti modo regem *Quibuscumque?* Regnum a bono senatore datum est regenti neminem (2). Nam recte dicas « *veniam quocumque vocaris* », non ita vero « *veniam quocumque* ». Eadem quippe ratio est, quae pronominis « *qui, quae, quod* ». — Eius autem regni administris elegit, *Scilicet, Videlicet, Nempe, Nimurum*, quos una eademque veste exornavit, ratus particulas illas idem valere singulas, hoc est, habere vim declarandi (3). Nec minus indigne actum est cum *Quin*, quae particula necessario sequitur negationem. Itaque recte dices: « *nunquam ad te accedo, quin abeam doctior* »; prave autem: « *ad te accedo quin abeam doctior* ». Atque in hoc etiam peccavit Vallaurius (4), H. Tursellini auctoritate forte permotus, ista tradentis: « *Saepe iungitur quin cum verbis Dubito, Praetermitto, Possum et alius eiusmodi* » (5). — Iure etiam notatae a Censorino sunt haec: *Revera, Reapse*, pro « *nam, enim, etenim* », quia illa non ad confirmandum adhiberi debent, sed ad opponendum, ut est in Cicerone: « *Populi nomine; re autem vera sceleratissimo latrocino* » (6). Ne huius quidem expers latrocini Thomas (7). — Haec praeterea in Arcadio mendosa sunt: *Scientificum*,

(1) *Hor. II Ep.* I, 53. (2) *VALLAUR. Hist. crit.* lib. III, cap. I. (3) Cf. ital. *cioè*. (4) *Hist. cr. Operis divisio.*

(5) *De Partic. lat. orat.* cap. CLXIII, 16. (6) *I Ad Fam.* 4, 2.

(7) *Hist. cr. II, cap. III, § 1, bis.*

pro eo quod est « *ad scientiam pertinens* »; — *Osorens*, pro « *infensis, inimicis* » (1); — *Ex opusculo quodam*, pro « *aliquo* »; — *Auctore Caio*, pro « *quod scripsit Caius* » (2); — *Aut*, pro « *vel* » et vice versa, *vel*, pro « *aut* »; — *In quo*, pro « *inquam* »; — *In adducendo argumenta*, pro « *in adducendis argumentis* ». Quo loco memini, recentiem quendam latinitatis praeconem, non dubitasse titulum corrumperet aurei libri *De imitatione Christi*, cui titulo, contra communia et contrita grammaticae praecepta, sufficit: *de imitando Christum*. — Pariter improbanda sunt quae sequuntur: *ad huiusmodi veritatem adstruendam*, pro eo quod est: « *ad haec demonstranda, evincenda, vel confirmanda* ». Nam « *adstruere* » nihil est aliud penes Tacitum ac Plinium, nisi aut aedificare, aut addere. — « *Veritas* » autem odium parit, ubi sic enuntietur. Legat Arcadius quae de nominum specie ac genere haud minus fuse quam docte tradunt nostri grammatici, praesertim A. Cima. — Erratis adduntur *innotescit*, pro « *enotescit*, palam fit, percrebrescit » (3); — *Passiones*, pro « *animi perturbationibus* »; — *Ad obtinendum*, pro « *ad consequendum, impetrandum* »; — *Bina*, pro « *duobus* »; — *Status*, pro « *republica, civitate* », ut in Flacco: « *Tu civitatem quis deceat status (i. e. conditio), curas* » (4); — *Humaniorum litterarum*, pro « *litterarum antiquarum studiis; bonis, liberalibus, ingenuis artibus; studiis humanitatis et litterarum* »; — *De futura resurrectione litterarum*, pro « *de futura litterarum fortuna* », vel « *de excitandis litteris* ». Nequeunt enim futura componi cum praesentibus. Atqui vocabula genus denotantia ac desinentia in *io*, rem praesentem significant.

(*Ad proximum numerum*).

P. ANGELINI.

(1) *Osorem*, a verbo *odisse*, leges in argum. *Poenuli Plautini* et apud Lat. *Pacatum*, in panegyr. *Theodosii*, cap. 20.

(2) Cf. grammaticos et vocab. indices ad voc. « *Auctor* ».

(3) *CIMA*, mem. op. § 12 « *Neologismi* ».

(4) *III Carm.* XXIX, 25.

voluit quadam die militare obsonium gustare, quod coquus confecit adeo concretum, ut cochlear infixum prope erectumque regeret: imperator gustavit; at... deinceps nunquam rursus quaeasivit. Morte adventante ad pristinam ciborum incuriam exsul rediit, neque gustus oblectamenta amplius est persequutus.

I. ANTONELLI.

### HORAE SUBSECIVAE

In Iosephi Verdi obitu (1).

Tecum, mente tenes, vir ubi iam finit aevum,  
O Iacosa, vigil nocte dieque fui,  
Ut suaves et ego, facie pallore gravata,  
Aspicerem scrutans semianimes oculos,  
Qui brevis a lasso veniebat anhelitus ore,  
Usque et fiebat tardior, enumerans.  
  
Mente tenes et ego, suprema temporis hora,  
O Iacosa, mihi dum quatit ossa tremor,  
Insignis pietate viri, cultoris et aequi  
Cor perscrutabar pectore desiliens,  
Quod magis atque magis languebat, et oscula figens,  
Palmas stringebam, quae riguere gelu.  
  
Quotque animae in lacrimas solventes lumina mecum  
Non visae, ad lectum tum morientis, erant!  
Quotque senes hymni et pugnae queis corde recursant,  
Pugnatae viguit cum iuvenile decus!  
  
Non visi adstabant pueri, innuplaeque puellae,  
Qui sensere suis gaudia pectoribus,  
Cernentes vitam festis gestire choreis  
Magni cantoris dulcibus in modulis:  
Gens erant Ausoniae, desperato icta dolore,  
Quae flebat summi funera sacra viri!

ANTONINUS PIZZUTO.

### Graphis ex vero adumbrata (2).

Ad veterem pagum, caeli inter caerulea, montes  
Herbosos inter nunc iacet aedicula;  
Diruta, sola iacet, tacitique in vertice collis  
Plausibus haud resonat, sole cadente, suis.  
Illi ad fontes ludunt citi amore palumbes,  
Dum frontem antiqua religione sacram  
Aedis, cui trunco superadditur orbe corona,  
Praepetibus pennis anxia hirundo petit.  
Muri inter rimas roseo cyclamina colore  
Rident, erecto vertice fulgidula,  
Et ramis torto nexus propioribus haerent.  
Culmina, iam medium sole tenente diem,  
Fumant, serpit humi festinis flexibus anguis,  
Quo strepitu pulli protinus aufugiunt.

JOSEPHUS FEDELE.

### DE TABACO NONNULLA

A UDIN', lector, quae circa perstrepunt?... — Cur morimur? — Quia tabaco utimur! — Cur vivimus? — Quia utimur tabaco! — Insuper eo pervertem est, ut apud multos haec invaluerit sententia: Ecquis es et in cute et intus? — Da videndum tabaco indulgentem, et hominis indolem explicabo et mores!

Atqui sentientes huiusmodi non ira, non studium concitat; experientia quemque docuit, et quisque loquitur iuxta doctrinam, sive hanc propria Pallade adeptus sit,

(1) Ex italic carm. HENRICI PANZACCHI.

(2) Ex ital. epigramm. MARIAE PIZZUTO AMICO, cui titulus: Macchietta dal vero.

sive aliena sibi comparabit. Balatrones, satui, bucconesne utrique? Absit. Recte ne omnes, dum contraria promunt, loquentes et iudicantes dicam?... Ubi de vita ac de morte agatur, non exiguum agi rem puto. Hinc mihi postulo in limine, quod cordatus homo pariter et concederet et postularet; scilicet « ne quid nimis! »

*Est modus in rebus; sunt certi denique fines,  
Quos ultra, citraque negliri consistere rectum.*

De usu, non de abusu ago. Cibus ipse potusque, si ultra quam par sit stomacho ingerantur, mortiferi sunt; medicamina ipsa venenum.

Duplex autem tabaci usus. Ad medicamentum alter, alter vero ad voluptatem.

Medendi virtutem nemo nicotianis foliis negabit, quae singularem vim sibi vindicant tum in arcendo pestilentiam aeris, tum in irritandis glandulis oris et saliva provehenda, tum in solvenda pituita, tum in sedandis doloribus praesertim dentium, tum in excitandis nervis cerebri, tum in exterminandis microborum centuriis, quae os, guttura, peccusque invadunt. Quid ultra?... Ad delicium vero quod attinet, omnia brevi comprehendam cum tabaci usus, sive fumo, sive pulvere, iudicatus iam inde sit: *Olium in negotium in otio.*

Quapropter, sive medici iussu, sive delectationis causa tabaco utaris, praecipue fumum aspirans, haec tibi sint veluti Galeni et Aesculapii praecepta. Dedit Scholarius:

I. Ne iejunus fumo des operam;

II. Ne labore in gravem incumbens, nempe remigans, currans, birotam adigens, et in proximis paribus, fumo indulgeas;

III. Ne fumum per nares emittas, qui Gallis deliciosus est mos, sed per labra reddas, totumque reddas toties absorberis;

IV. Ita fumo potiaris, ut fumus oculos non afficiat, quamvis levis; propterea quod, potius quam convolutis tabaci foliis, utere vasculo illo, quod: *nicoturam latine belle appellaverimus, italice pipa*, at longiori addito fistulae;

V. Si quando nicotianis foliis convolutis usus fueris (*sigarum vulgo dicimus*) non integre, non ad finem consummabis, sed ubi in cinerem ultra rei dimidium absumperis, proiice abs te. Quicquid enim virulentum e nicotine est, ad extremum penes labra convenit, et congregatur;

VI. Medicum consule ut iuxta necessitatem, opportunitatem, viresque corporis facias; nec minimi momenti erit etiam ediscere speciem tabaci, quae apta sit, et quantum quotidie sit absumendum.

Haec ubi feceris atque servaveris, emolumenti et tabaco tibi erit multum, nocumenti nihil.

Quum autem ex hisce pateat cuivis non modo impune, sed et deliciose tabaco frui licere, omnis cura ponenda est, ut ipso fruamur absque periculo. Atque id Societas Neo-Eboraci constituta nuper cavit, scite, meo iudicio, atque ingeniose. Haec enim, tabaci folia apta comburens in fornice, per fistulas fumum in singulas domos distribuit, ibique clavis quaedam est, quae fistulae respondet, cui calamus inseritur, atque inde suo pro lumen unusquisque fumum omni carentem vitio, venenoque omni expoliatum, et ferme frigidum attrahit. Adest pone clavem parva enumerans machina, machinae instar, quae fluidum computat, quod gas dicimus, ad lucem excitandam; quare, sine fraude ulla et Societatis et utentis, quisque voluntati sue satisfaciet. Et laudamus adinventum, et probitatem laudamus.

Gustavus Blan Berolinensis, mathematicus vir, ut pericula arceret, quae a ferendis flammiferis, ad incendiam nicotianam frondem convolutam, saepe oriuntur, machinam extruxit apud venditores, cuius est munus, apposito asse, non modo tabacum illud offerre, sed et accensum praebere; incendit autem electrica vis intus inclusa, quae exentiis *sigari* caput percellit exardens. Narratur haec nunc esse illuc in more; et in Italianam dicitur brevi ferenda.

Si ferri-sulphuri lotione, at parca, tamen docta, manu aspergantur tabaci folia, quae postea arescant, et convolvantur, suavissimum una dabunt naribus fumum, palato saporem. Huiusmodi autem inventionem casus po-

tius quam ingenium sibi vindicat. Quum enim Camillus Bensus de Cavour gravissimum quid scriberet, a rege appellatus, maturavit abire ad vocantem; at operis caligine plenus, *sigarum*, quem in labiis accensum gerebat, depositum, nihil de loco, in quo deponeret, cogitans; forte super atramentario, ita porro ut in atramentum infunderet. Tota die a loco absuit. Qui autem domesticus mensam scriptoriam curabat, iuxta meridiem revisens, *sigarum* ex atramentario abstulit, ac prope in aerea patina, ad hoc apposita, collocavit. Sequenti die ubi Camillus redit, quia vero adest erat, tabacus aruerat, *sigarum*, quem liquerat, iterum succendit operam fumo daturus, uti scribens plenumque solebat. Obstupuit, odore et sapore singularibus delectatus, et novae curiosus rei Piriam in Taurinensi athenaeo chimicae magistrum accivit, qui tabacum scrutaretur. Hic atramenti, quo imbutus fuerat, eti si vestigia non novit, reperiit tamen, quae in atramento erant sulphuri ex ferro vestigia. Rem retulit. Mox tabaci folia, sulphuro ferri rotata plurima convoluta sunt, cumque haec placuissent, in usu venalia posita, et *sigaro* Cavourii nomen ficerent.

Anglicus denique civis haec de moribus eorum, qui fumo indulgent, se cognovisse experientia dicit. Qui dentibus *sigarum* tenet neque curat utrum successus nec ne sit, homo est audax, computator, et interdum etiam periculosis. Qui lents fumo indulget, et saepe folium ex ore tollit ut varias fumi figurae, nubeculasque multiformes contempletur, beatus homo est sorte sua, probusque. Qui interrumpit saepe fumum, et *sigarum* modo sumit modo deponit, concitus tamen semper et subitanus, homo est, cui non mens, sed quae circum omnia consilium dant anticipeti et incerto. Qui cum *sigaro* ludens fumo potitur, tranquillus, totusque in fumo est, habendus homo optima valetitudine utens. Hic autem semper agit, ut quo possit erigit *sigari* caput accensum, quasi ut oculi ipso oblectentur. Contra vero, iudicandus erit pravus ac turpis, sensibusque inserviens, nec sensus excedens unquam, si quis *sigarum* neque sursum neque deorsum teneat, sed labris aequum. Cave ab homine, qui *sigarum* dentibus mandet!; instinctui rabiei, nervis obedientis est, praecips indole superba et iracunda. Qui demum ita habet, ut saepe necessum illi sit accendere, et iterum accendere, quasi negligens fumum, hic nobilissimus animo, disertus eloquio, magnus corde ducendus.

Lectores nostros hortamur ut perspiciant, animadvertant, si qua de iis, quae notavimus, vera, et factis respondentia repererint iudicia.

P. ALEXIS.

### ANNALES

Regale colloquium ad Abbatiam - Melitense comitium - Londini catholici optimates a rege solemniter excepti - Sinenses res - Transvillianum bellum.

ABBATIAM, Istriae in urbem, fore ut convenienter proxime Rumenorum Graecorumque reges dicunt, ut de Macedoniae provinciae novis condicionibus consilia communicent. Georgius enim rex cum adesset auguralibus feriis celebratis ob positum marmoreum signum Colocotronis in honorem, qui fuit alter e ducibus de graeca libertate maxime meritis, vehementer habuit orationem ut cives suos hortaretur, quo ad augendos suae patriae fines provehendamque fortunam alacriter sese pararent. Colloquium autem eo potissimo consilio indictum apparebat, ut Slavorum cupiditatibus, quibus Serbi et Bulgari favent quasque Russi tuentur, opposito foedere obstat.

Melita in insula frequentissimum habitum est comitium, ut contra nova vectigalia simulque contra impostam Melitensibus incolis anglicam linguam protestatio solemnis ederetur. Comitio triginta millia

adfuerunt cuiusque ordinis incolarum ex operario-  
rum sodalitiis ad iurisperitorum atque mercatorum.  
Praefuit Mizzi, Italus populi orator, quo invitante,  
patriae insulae nomen et lingua maximis plausibus  
iterum iterumque salutata sunt: deinde multitudi-  
universa instructa acie Melitensis urbis vias, solemnii  
pompa, clamans percurrit.

★

Londini insolitus fuit atque laetissimum catho-  
licorum totius Anglii imperii viros nobilissimos, Epi-  
scopos, Purpuratos patres, optimates peculiari ritu  
ad Eduardum regem visitandum accessisse. Praeerat  
visitantibus Westmonasteriensis ipse Archiepiscopus,  
quem sequebantur omnes Anglicae insulae Antistites:  
erat et Norfolk dux, qui primus Angliae comes et  
dux vocatur, Ripon marchio, olim in Indiis praeses,  
ceterique nobilissimi viri, quibus se Romanam fidem  
profiteri gloria est. Rex visitantes humanissime ex-  
cepit, iisque protestatus est sese gratissimum fovere  
animum ob vota quae catholici Anglicae reipublicae  
fidelissimi cives publice et privatum indesinenter fundi-  
tud ad Divinum patrocinium pro rege atque pro  
patria impetrandum, desponditque se constantem ope-  
ram daturum, ut pax et concordia inter omnes ci-  
vium ordines floreat.

★

In Sinis Europaeorum legati convenerunt de  
numero militum, quos derelinquere satis sit ad suas res  
tuendas. Igitur unaquaeque gens tres centurias pe-  
ditum sive Scian-hai-kuan sive Tien-tsin in urbibus  
constituet; ceteri in patriam redibunt. Interea vero  
Galli et Germani milites a suo itinere redierunt, quo-  
rum manipulus, cui Kümmer praerat, cum Sinenses  
equites circa Kalgan conspexisset, eos adortus ver-  
tit in fugam. Pecunia, quae Sinensibus proposita est  
a nostris legatis ob accepta damna solvenda tercen-  
ties centena millia libellarum aequat; dubium autem  
num Sinenses eam solvant.

★

Ex Transvaal quae postremo nunciantur haec  
sunt: Calviniam prope urbem equitum Anglorum  
manum in hostium insidias incidisse; vicissim Middleburg  
ad locum Boerorum centuriam una cum  
armis sese in ditionem tradidisse. Idem accidit ad  
Bergplats, ubi tradunt ballistam ignivomam quae una  
Boeris superasset immisso pulvere esse contractam,  
ne in hostium manus incideret. In regionibus quae  
septentrionem aut orientem spectant quotidie novae  
advelitationes fiunt, Boeris ferreis axibus stratas vias  
diripientibus, qui cohortem cui Dennison tribunus pra-  
erat captivam adduxerunt. Delarey autem dux cum  
magna legione per Hartebeestfontein loca vagare di-  
citur, quem contra Babington imperator profectus  
est. Nova legio autem postremis his diebus Southampton  
e portu consensa navi in Africam transvehitur.

POPULCOLA.

\*\*\*\*\*

### PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

**I**N Anglia de augendo vectigali, quod carboni com-  
mutandi commercio impositum est, vehemens coram  
municipum legatis habita disceptatio: idem de explo-  
tiore saccaro cautum est. Brodrik, bellicarum rerum admini-  
nister, de instaurando exercitu fusam orationem habuit,  
ut imminentibus e Nili, ex Orange, ex Indi, ex Yang-tee  
fluminum ripis Angli periculis valide obsistant.

In Austria, qui christianum nomen et Christi legem  
oderunt legati graves tumultus in aula excitarunt: roga-  
tionem immo obtulerunt ut sodales e Societate Iesu ab

Imperio expellerentur: Ferdinandum denique imperialis  
domus principem vituperare cum ausi essent, De Koerber,  
consili praeses, ad silentium arrogantes coagit.

In Brasiliiana republica Campos Salles praeses,  
novas sessiones inauguras, visitationem suam ad Argen-  
tinae praesidem digno sermone commemoravit, ac de re  
pecuniaria optimas spes pandit.

In Chilena republica Erraruriz praeses ob infirmam  
valetudinem munus abdicavit: eius in locum Zanartu, alter  
a praeside, rempublicam moderabitur: novorum admini-  
strorum collegium, Rodriguez et ipso Zanartu praefectis,  
primum coivit.

In Germania de vinifero commercio rogatio expen-  
ditur: interea ex administratorum collegio Miquel, qui com-  
merciis praerat, munus dimisit: ei Moeller successit; sed  
et alia virorum nomina praedicantur, qui administratorum  
collegio adscribantur.

In Iaponia pariter principes rem publicam admini-  
strantes, quibus Ito marchio praerat, solidali concilio mu-  
nus suum deseruere.

In Italia apud populi legatos expensarum summa pro  
variis reipublicae muneribus officiisque ad examen revoc-  
atur. In Senatu, arrepta occasione ex contionibus sedi-  
tiosis ac populariter hic illic concitatis, graves dictae sunt  
in socialistas orationes, et rei publicae moderatoribus com-  
mendatum est ut licentiam eorum cohiberent, ne plebem  
contra instituta et leges sollicitare illi possent.

In Scandia, ob discordias de novis munitionibus circa  
Suetiorum fines constituendis, qui Norvegense regnum  
moderabantur suum imperium deposuere.

SCRIBA.

### LIBRORUM RECENSIO

CORNELIO NIPOLE, *La vita di T. Pomponio At-  
tico, analizzata logicamente parola per parola* dal  
dott. FRANCESCO CHIMINELLO. — Novocomi edidit So-  
cetas Pliniana anno MDCCCCI.

Artem ratiocinandi, non splendide futilem, sed veram  
solidamque grammatici potissimum docent, quos plerique  
e vulgo doctorum quasi paedagogos despiciunt atque  
contemnunt. Grammatici, inquam, quales ex penitiore in-  
vestigatione antiquitatis ac litterarum progressa fert aetas,  
quorum disciplina iam apud excutas omnes nationes vi-  
get. Hi elementa propositionis enucleantes et sententia-  
rum nexum atque verborum sedulo perpendentes efficiunt  
ut pueris nostris Tullii verba possint aptari: «cum mi-  
nime videbamur, tum maxime philosophabamur».

Rationalem hanc latini sermonis addiscendi viam  
muuivit felicissime Franciscus Chiminelus, probe notus  
commentarii nostri lectoribus, sive ob editam grammati-  
cam, sive ob exercitationes propositas; cuius utriusque  
operis facta in his paginis est iam mentio cum laude.  
Neque tamen vir egregius labori cessit, sed librum ad-  
didit, quum studiosis adolescentibus, tum praceptoribus  
utilissimum. Vitam enim T. Pomponii Attici a Cornelio  
Nepote scriptam sic persequitur, ut singularum, quae ibi  
sunt, propositionum natura fiat perspicua tironibus. Idque  
etiam commoditatis habet novum volumen, quod Cor-  
nelianam narrationem exhibet, in usum discipulorum, a  
cetero libro adnotationum distinctam ac separabilem,  
eandemque litterarum forma ac nitore insignem.

Tot ac talibus fulta praesidiis nostra iuventus, si quid  
forte minus in latinitate consequi videatur, cuinam vitio  
vertat, nisi suaे socordiae?

P. A.

ARNALDO COCCI, *Degli antichi reliquiarii di S. Maria del Fiore e di S. Giovanni di Firenze*. — Florentiae, ex off. Pellas, 1901.

Apud italos artifices magna fuit semper in aere, argento,  
auro caelandis peritia, magna laus. At veteres illi,  
sapientiores credo recentibus, certe pii magis, omnes  
solebant ingenii vires exserere in operibus tum conci-  
piendis mente, tum perficiendis manu, quae Deo Optimo  
Maximo sacra, dicataque haberentur. Quid inde? Quasi  
divinae lucis immortalitatem adepti tum qui fecerunt, tum

qui opus faciendum iusserunt, vivunt adhuc in iis, quae  
dolata reliquerunt, et nomen sibi perpetuum compara-  
runt. Bene igitur de italica Pallade meritum reor scitum  
virum Arnaldum Cocchi, qui vetustas reliquiarum thecas,  
quotquot Florentia tum S. Mariae de Flore, tum S. Ioan-  
nis in templis asservat, egregio libro recensuerit, nomina  
opificum dederit, effigiemque singularum affabre praelo,  
luculenter verbis descripsit. Ita non modo liber aliquod  
archaeologicum est, sed insuper est aliquid optimum arti-  
ficibus, qui inde habent et quod mirentur, et quod, si-  
quid facturi tale sint, imitentur. Optime a sophismatibus  
ipercriticæ cavit, at ne quid affirmasse temere videretur,  
singulas indicavit fontes, unde puram hausit undam do-  
ctrinæ; quapropter in notis coruscant illa nomina celebre-  
rimorum virorum, quibus praeteritum saeculum maxime  
floruit, nempe Ioannes B. De Rossi, Marianus Armel-  
lini, et reliqui; praeterea codices indicat, libros, et sexcenta  
huiusmodi enumerat, quibus magna fides est chartis, quas  
ipse exaravit. Idem stilo usus est perspicuo, literarum  
formis apprime nitidis, charta pulcherrima, ita ut nihil  
optabilius et scrutanti res, et legenti. Illmo. ac rmo. epis-  
copo Pescensi Donato Velluti Zati dicavit opus, quod  
et eruditio et diligentiam auctoris non mediocriter  
laudat, et Florentinae officinae Pellas, cui Cocchi succe-  
serunt et Ziti, mirifice refert industriam. Laudibus et  
ominibus utrumque prosequimur. H. P.

### AENIGMATA

- a) Nescio mutari: recte seu lecta retrorsum pinnigerum praesto remigium alitibus.
- b) Nescio mutari: recte seu lecta retrorsum summum thure colo Numen odorifero.
- c) Nescio mutari: recte seu lecta retrorsum squalida bestia sum; quaerere stercus amo.
- d) Nescio mutari: recte seu lecta retrorsum veste vidente tego tempore veris agros.
- e) Nescio mutari: recte seu lecta retrorsum non cesso fauces urere saeva tuas.

FR. PALATA.

Ex sociis qui horum aenigmatum interpre-  
tationem ad commentarii moderatorem miserunt intra  
duos menses, unus sortitus gratis accipiet opus,  
cui titulus:

M. TULLI CICERONIS  
ORATIO PRO T. ANNIO MILONE  
Curante A. CINQUINI.

Aenigmata a. IV, n. VI proposita his respondent:

1) Pugil - lar. 2) Rivus - Virus.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Fr. Xav. Reuss; Th. Vinas Sch. Piar, Roma-  
F. Arnori; Cam. Crespi, Mediolano - E. Burg, Argentorato -  
V. Starace; Fr. Altobelli S. J., Neapoli - Guil. Schenz, Rati-  
bona - I. Walter, Neo Eboraco - Car. Stegmüller, Sabaria - Alba  
Vannini, Florentia - Princ. Gordon, Mancunio - Ad. Huza, Gry-  
bovio - Ad. Skrzypkowski, Swinice - Hild. Guepin, S. Dominico  
de Silos, ad Burgos - Abr. Morchio, Genua - Herm. Gini, Tau-  
rinis aquis - R. Pancaro, Consentia Brut. - G. P. Z., Modoetia-  
los, Crosatti, Poiano ad Veronam - I. Szymajtis, Opitloki -  
Aug. Mager, Seccovio - Societas philologica Mediolanensis -  
Aug. Roberge, Chicotino - Am. Robert, Marieville, in Canada-  
C. Brandt S. J., Hapnia - E. Schütt, Suechtelena - Valentinus  
ab Aletrio - D. Le Provost, Briocen - Ver. Cariolato, Vicentia-  
P. Garrone, Pezzana ad Vercellas - Vict. Vila, Palma in insula  
Majorica - H. Doswald, Chicagine - Alois. Cappelli, Senis -  
G. Maurer; I. Brill, Bonna Ubiorum - Fr. Sallares Sch. Piar.,  
Sabadello - I. Gras Sch. Piar., Modilano.  
Sortitus est praemium

Ad. SKRZYPKOWSKI,  
ad quem missum est opus, cui titulus:

HERMANN KRUSEKOPF  
QUAESTIONES SOPHOCLEAE

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

## PER ORBEM

POSTREMIS usque e Kalendis Maiis ignita Vulcani vis nova nescio qua rabie hominum fata pessum dedit.

Saint-Jean-Brevelly oppidum Gallorum est, quo tormenta bellica quadraginta suis militibus instructa mense novo ineunte pervenerant. Qui cum castrametati essent, nocte superveniente, ignis exemplo domum, ubi triginta eorum quieti indulserant, aggressus est. Dum contubernales manus sospitandis dormientibus admovent, contagatio ecce corruit, quotquot inferiores degrent ruinis delabentibus opprimens. Ballistarii inde septem, excubarius autem unus perempti: vulnerati autem complurimi, quorum nonnulli in Venetense nosocomium deducere opus fuit.

\*  
Moravi secundas lugent, qui castellum suum Brunn ab urbe haud longe dissitum paucis horis voratum omnino ab igne viderunt: domus duodecadraginta hoc infortunio deletae: plebs autem tanta ruina deterrita ad arva aufugit.

\*  
Similia in Russia contigerunt, gymnasti atque istrionibus, qui, Peterville duce, ut equestribus ludis operam darent, Taschkent ad moenia per venerant. In ipso enim ludorum spectaculo e ludentium spoliariis flammæ sublatae brevi ad ipsos circenses gradus atque ad caveam progressae sunt. Tunc certatim, fugientibus omnibus, horrendus pugilatus atque pugna veluti furens facta est, ut quisque citius in tuto sese recipere: quare oppressi multitudinis pedibus tristitia et amplius periisse cives miserum fuit.

\*  
Omnium vero huiusmodi tetrica fortuna Francofurti ad Moenum incolas male habuit, qui Griesheim ad locum in officina chimicae arti exercendae adlaborabant. Flammis inopinato incensis disiecti repente muri sunt atque in ruinam eversi. Adeo autem et coacervatis inibi igniti rebus flamma convulsit, ut proximum usque oppidum in opposita fluminis ripa Schevanheim attigerit: lacrimabilis hinc inde hominum clades eaque maxima.

\*  
Americana litora procellae ac tempestates vastarunt. In Paraguay republica atrox ventorum turbo tres urbes protinus e solo convellit: incendia autem quae hec illic e ruinis ignitarum rerum collapsu accensis exarserunt, flante ventorum horrida vi, deflebilem operam compleverunt. Contra Connecticut, in Massachussets nordicis regionibus, aquis inundantibus damna latissima parta sunt. Jacksonville tandem urbem, Tennessee in republica, incendio absuntam recentissimi nuncii docuerunt.

\*  
Tot autem tristia recoluisse satis sit, procurretque laetiora artium omnium recensio, quae Glascuae, anglica in urbe, mox inaugurata est. Regio mandato ad festum Fife ducissa accessit. Kolnigrove in hortis Scotorum pulcherrimis aedes novae erectae sunt: multitudo vias et hortos et silvam circum complevit. Ad meridiem, ducalem foemina adventante, hymnus ille Anglorum *God save the King* cives selecti vasto choro cecinerunt, deinde nobilis foemina ad auguralem visitationem processit. In frontem atque in latus quadringentis passibus aedes producuntur, exstantque ibi dicatae industribus artibus aulae, vel machinis completae, vel Russorum aut Iaponiorum gentibus reservatae, iamque ad exhibita tot ho-

minum opera admiranda ingentior in dies cursus civium advenarumque fit.

\*  
Urbana quoque his diebus aliquid dederunt in latino commentario memoria dignissimum. Ephippi, qui in Pontificio lyceo ad S. Apollinaris litteris dant operam, *Trinummus*, M. Acci Plauti fabulam, in suo quod iamdiu constitutum est theatro, ad Palatini clivum prope Velabrum, optime eggerunt. Palliatae Romanæ fabulæ spectaculo ipsi adsuimus, neque assentatorum nota reprehendi volumus affirmantes nobis tunc temporis patrum more, florente adhuc Romana republica, visum vivere. De amplissimo inde consilio, ob gratissimam sumptam voluptatem, rectoribus atque ephebis ex animo gratulamus.

VIATOR.

## VARIA

Insanienti restituta mens per singularem interpretationem.

Iginus vix latino rivulo imbutus, quemdam audierat hortantem, ut Evangelia legeret, ipsisque vitam, mores, mentemque accommodaret, non verbis sacri praeconis in templo oppiduli sermocinant. Dedignans ea legere, quæ passim in italicum translata idioma non summa fide venduntur, latinum sibi comparavit Evangeliorum librum, ut puriores ex ipso fonte biberet aquas. Initium Ioannis legens in ea verba incidit: « Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt, et sine ipso factum est nihil », mox, puncto non bene impresso, legit « quod factum est ». Lectionem redintegrat, bis, terque, quaterque, et illud « nihil factum » clavo altius in mente claudicante legentis infigitur. — Nihil factum est! — secum dicebat: — Quid postea de eo? Quo perrexit? Ubi nunc moratur nihilum istud? Quid agit? Ita ne fugitivum oberrat exsul agens casus?... Cur non tenuerunt? — Atque in hisce querelis ita haerebat, ut relicta rei familiaris negotiis, otio diffluens integros dies lamentosus, noctesque insomnis consumeret, medico, uxore, parocho, patre, consanguineis frustra suadere conantibus de inani sollicitudine, angore et cura dimittendis. Fortius et vehementius ille inclamare:

— Quid factum est de illo miserrimo nihilo? Quo fugitivum, errabundum, extorre patria abivit? Ubi versatur? Proh me!, proh illud! infelicissimi ambo. — Quadragesimalis praeco redierat, et quia inter primores oppidi censu et genere Iginus erat, praecomenem quamplures rogant, ut audeat dementem. Facetus hic, et non illiteratus, mehercule, vir, una cum parocho Iginis domum pettit, quem supplex, ubi demens vidit, per Deum multis cepit rogare cum lacrimis, ut aliquid sibi de illo infelici « nihilo » diceret, et si Romae, ex Urbe namque concionaturus venerat, ulla notitia de « nihilo » ferretur, exemplo daret. Tunc gravis concionator: — Rem petis antiquam; iam enim, ex ipso tuo libro, Ioannis tempore omnia de eo absoluta sunt. Librum afferte. — Affertur.

— Apostoli piscantes nihilum rete ceperunt. Lege: « Totam noctem laborantes nihil cepimus ». — Iginus quasi expurgiseretur, attamen pristinæ adhuc aliquid dementiae retinens: — Et quid de eo fecerunt? — interrogat. Concionator exemplo quasi de re notissima dicens: — Miror te non recordari. « Comederunt assum igne cum lactucis agrestibus ». — Amens qui haec verba in prophetiis Sabbati Sancti audierat, fidem integrum asserenti dat, et repente prorsus resipiscens:

— Tibi omnia — exclamat — o pater, fortunet Deus, qui me de moestissima, qua angebar, dementia liberasti! — Inde ruit in oscula et complexus cum praesentibus singulis de inexpectata sanatione gratulantibus. Haec nuperrime, lectors; quibus nomen gentis et finitimi oppiduli darem, nisi me timor laedendi famam hominis a scribendo terroreret, cui aliquid dedecoris es: a praeterita amentia.

\*

Loci.

Verdius cantorem mordens.

Hoc nuper ab homine novi, qui et oculatus et auritus (quaeso; ne characteres disponens: auritus — scribat!) testis fuit. Quum Joseph Verdi, quadraginta circiter abhinc annis, experimentis adstaret, quæ circa musicum opus eius in theatro fiebat, cantor quidam tenuiore voce insignis bis et quater cantum deducens in quiddam non consonum voce incurrebat, Verdio non probante unquam, et ad initium iubente carmen redire. Ille indignans blasphemò ore in Deum canis nomen impegit. Pacifice magister summus: — Ne dicas — inquit — o cantor; hic namque nullum, praeter unum te, video et audio canem!

In cauda venenum.

Simon, in usuras incumbens totus, magnam opum vim congesserat, quæ tamen a morte liberare non potuerunt. Haeredes amicum rogarunt, ut epigramma scriberet laudans sollertia hominis qui divites haeredes fecerat, imposituri titulum sepulto. Callidus hic dedit, et sculptum in marmore est, veritatem argute una ostendens et abdens:

Hic situs est Simon. Parva ex re crevit in amplam, et Mortuus est dives. Cetera, lector, habes.

Dicit enim de Epulone Evangelium: « Mortuus est dives... et sepultus est in inferno».

P. d. V.

## EPISTOLARUM COMMERCIO

Cl. v. H. DOS... - Chicagine - Facultas quam petisti tunc solum conceditur quum in civitate ii non sint, qui iure suo ea utantur. Atqui istic sunt!

Cl. v. P. GAR... - Pezzanae ad Vercellas - Aenigmatum an. IV, n. IV, solutiones serius ad me delatae sunt ut in commentario nomen tuum referre possem.

Cl. v. M. GAL... - Cavae - Quod misisti carmen suo tempore edemus; non vero imaginem luce expressam, quæ nitore caret.

Cl. v. B. LOM.... - Mazarae - Litterarum pericula a discipulis tuis tentata valde nobis probantur: at recensiones librorum, qui ad nos minime delati sint, edere nequimus. Scias insuper carmina summis laudibus viventem aliquem efferentia, ne assentatores videamur, a nobis reiici.

Cl. v. I. MAR.. - Galatinæ - Ob humanissimas litteras gratias ago: scripta, eo modo quem tibi proposui ac tu ratum habuisti, exspectamus, atque illa etiam quibus ante vacabas.

Cl. v. I. SO... - Iaceae Regalis - Accepisti ne longam epistolam?

Cl. v. M. BE... - Portu Romatino - In proximo numero nos tibi satisfacturos confidimus.

A SECRETIS.

\* FIDES \*

quod musicum organum

# STRADIVARIUS

CREMONENSIMUM ARTIFEX CELEBERRIMUS

CONFECIT

Romae veneunt.

Negotium agitur apud Commentarii VOX URBIS administratorem, ROMAE, via Alessandrina, 87.

DUBIA ET RESPONSA SUPER EXTENSIONE  
IUBILAEI ANNI MCM ad universam Ecclesiam  
proposita in commodum confessariorum a THOMA ARIZ-  
ZOLI Missionario Apostolico Imperiali, Sacrae Poenitentia-  
tiae officiali.

Dubia huiusmodi explicant facultates quas Suminus Pontifex  
concedit in ordine ad Iubilaeum exercendas et complectuntur praeci-  
pios casus qui in Iubilao proponuntur. Responsa sacrae Poenitentia-  
iae, etiam recens data, quae opus fuit memorare, memorantur.  
Accidunt Constitutio pontifica super extensione Iubilaei et, maxima  
ex parte, Monita ex Constitutionibus Benedicti XIV de usu facul-  
tatum confessariorum tributarum excerpta.

Opusculum venit lib. 0.50 apud comm. Vox Urbis administra-  
torem, Romae, via Alessandrina, 87.

**Ciapponi Franciscus et Soc.**  
OFFICINA  
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS  
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS  
TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE  
ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## SOCIIS MONITUM

In memoriam sociorum revocamus, cuique eorum, qui char-  
tulam ad hoc acceptam remiserit suo ac duorum e sociis novis  
subscriptam nominibus, pro duobus tantummodo commentarii  
exemplaribus solvendum pretium; tertium dono datum iri.

Pretium annuae subnotationis comm. "Vox Urbis" vid. in prima operculi pagina.

**L**IBER (vulgo "ALBUM")  
praecipua Urbis referens, pulcritu-  
dine insignis atque, commentarii  
Vox Urbis moderatore iubente, expresse con-  
flatus, apud cumdem commentarii admini-  
stratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87,  
ven. lib. 1.50.

**FIGURAE URBIS ROMAE**  
ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE  
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO  
Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

**URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS**  
(m. 1.10 × 0.24)  
qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,  
venit singillatim L. 2.50  
apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

**LE LAUDI LATINE**  
**IL CANTICO DEL SOLE**  
DI  
SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897.

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro  
rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latinae cum inter-  
pretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita,  
quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem  
proxime alii subsequentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* compa-  
randam, **Iulius Salvadori**, litteris tradendis doctor egregius, maxima  
editid cura. Romae apud commentarii Vox Urbis Administrationem venit  
L. 0.50, in pauperum levamen.